DISPUTATIO INAUGURALIS

DE

ALTERA PAULI AD CORINTHIOS EPISTOLA,

ET OBSERVANDA IN ILLA

APOSTOLI INDOLE ET ORATIONE,

QUAM,

QUOD DEUS BENE VERTAT,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

PHILIPPI GUILIELMI VAN HEUSDE,

Litt. Hum. Professoris,

AMPLISSIMIQUE SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET VENERANDAE FACULTATIS THEOLOGICAE

DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS

SUMMISQUE IN THEOLOGIA HONORIBUS AC

PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO - TRAJECTINA

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO ET SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

HERMANNUS JOANNES ROYAARDS,

RHENO - TRAJECTINUS.

DIE XII MARTII MDCCCXVIII, HORA XI.

TRAJECTI AD RHENUM,

EX OFFIC. JOH. ALTHEER.

VIRO CLARISSIMO

HERMANNO ROYAARDS,

THEOL. DOCT. ET PROFESSORI HAC IN ACADEMIA,

PATRI OPTIMO

ET

PROMOTORI.

VIRO ILLUSTRISSIMO

JACOBO HENRICO SCHORER,

J. U. DOCT.

NOBILIBUS ZELANDIS ADSCRIPTO,

ORDINI EQUESTRI LEONIS BELGICI PRAEFECTO,

ACADEMIAE LUGDUNO-BATAVAE CURATORI,

NUPER ZELANDIAE GUBERNATORI.

VIRO AMPLISSIMO

DAVIDI ISAACO SCHORER,

ZELANDIAE ORDINIBUS ADSCRIPTO,

CIVITATIS MEDIOBURGENSIS CONSULI.

AVUNCULIS AESTUMATISSIMIS.

UTI ET

VIRIS CONSULTISSIMIS

JOANNI GUILIELMO ALBERTO ROYAARDS,

J. U. DOCT.

DAVIDI HENRICO ROYAARDS,

J. U. DOCT.

UTRIQUE FISCI PUBLICI ADMINISTRANDI CURAM GERENTI,

FRATRIBUS DILECTISSIMIS.

Hasce ſtudiorum primitias

D. D.

H. J. ROYAARDS.

——— *Paulum ſpectate, abſolutisſimum illud Chriſtianae virtutis exemplum, non qualem Socratem ſuum Plato, ſuum Cyrum Xenophon, ſolerti manu, expresſit, ut dubites, historiam legas, an fabulam, ſed qualem, in ſuis, ipſum, Epistolis, videmus, nudis illis, et omni artificio carentibus, qualemque praeſtitit, non dicam, natura, ſed infinita bonitas Dei.*

J. D. VAN LENNEP.

Est haec gravissima Ciceronis sententia, omnes artes commune quoddam habere vinculum, et quasi cognatione quadam inter se contineri. Nec minor sane Theologiae, quam ceteris disciplinis, cum humanioribus literis intercedit necessitudo. Quod usu ipse et experientia didici.

Ingresso mihi Academiae spatia, interesse continuo licuit Cl. Heusdii *lectionibus, quibus more suo, i. e. simpliciter et eleganter, auctores nobis Graecos explicaret, ut intelligere non tantum nobis videremur Homeri, Herodoti, Sophoclis, Platonis loca selecta; sed traduceremur etiam sponte in ipsam praestantissimorum Graecorum aetatem. Inde profectus ad Theologiae studia, eandem rationem in Sacro legendo Codice, salvâ divinâ ejus auctoritate, sequi tentavi. Juvabat, in Pauli maxime Epistolis tractandis, ex antiqui aevi moribus et conditione eas interpretari: atque, uti in classicis agere institueram scriptoribus, ipsius auctoris inde cognoscere ingenium, animum, tum*

orationis etiam dotes et virtutes. Quod mihi studium dici non potest, quantam fere tribuerit et voluptatem, et vero utilitatem. Et sic etiam tandem accessi ad alteram Pauli ad Corinthios Epistolam, eo, quo dixi, modo, legendam, meditandam, et quoad ejus fieri posset, interius animo percipiendam.

Monuerat me jam diu Pater Carissimus, ut, per septem jam annos in hac Academia versatus, conscribendâ dissertatione, profectuum meorum qualiumcunque tandem specimen ederem. Et patri monenti quis ausit refragari? Monebant deinceps item caeteri Praeceptores suavissimi. Ego vero, meae ipse tenuitatis conscius, probe noveram, quantum ad rite hoc peragendum mihi deësset. Sed quid multa? ut assolet fere, quae admovebam dubia, facile sustulit paterna benivolentia, mihique incerto et fluctuanti animos addidit. Ergo, quam dixi, Paulinam ad Corinthios Epistolam, disputationis meae argumentum sumsi. Legi eam saepiusque relegi, ut totum me insinuarem in auctoris cum tempora, tum sentiendi, cogitandi, scribendi rationem, notans continuo, quae mihi praesertim ad eam illustrandam observanda viderentur. Nec adii Epistolae interpretes, anteaquam hoc agendo, quodammodo certe mihi ipse satisfecissem.

Ceterum mihi ipse diffidens, haud multum mihi sumsi. Amplior mihi difficiliorque videbatur Epistola, quam ut hac juvenili aetate eam totam interpretari aggrederer: et congerere quae-

cun-

cunque et Veteres et Recentiores ad eam explicandam monuerunt, hoc displicebat. Studui vero maxime, tractandâ illâ, ut ipsum inde Pauli ingenium animumque et totam indolem, una cum ejus dicendi ratione, et ducerem et adumbrarem. Cui proposito explendo haec inprimis Apostoli scriptio opportunitatem praebere videbatur. Est enim Epistola: *quo familiari scribendi genere animum maxime aperire solemus. Et* hac *Epistola Paulus sensus suos omnes et affectus et studia ita effudit, ut in nulla magis. Quocirca ex illa omnium maxime Paulus cognosci posse videtur. Itaque praemissis* Prolegomenis *de Corintho et coetu Corinthiaco, disputavi* primum *universe de ipsa Epistola,* tum *ex illa Auctoris indolem efficere qualicunque tandem modo tentavi; ac* tandem *Observationes in medium protuli de ejus oratione rite aestimanda.*

Sine Critica aut Hermeneutica nemo est qui sapiat ulla in arte: et locos equidem adducens e Sacro Codice, de quorum sensu controversiae essent motae, sedulo operam dedi, ut in utramque partem Interpretum auctoritatem perpenderem. Sed cum disputatio mea proprie non referretur ad Criticam vel Exegeticam rationem, quaecunque huc pertinerent annotatione complexus sum. Ne vero quis miretur, subinde me Pauli verba Latine expressisse, feci hoc, quando Graeca apponi non necesse videbatur. Sed in disquisitione de ipsa Apostoli oratione, induxi fere eum suâ loquentem linguâ. Usus sum, ut plurimum, Bezae versione, quam hic illic cum Grotii aliorum-

que

que contuli interpretatione, aut ubi minus apta mihi videbatur versio, aliam ipse conficere studui.

Quodsi aliquos in Theologia fecerim progressus, hos lubens publice tibi acceptos refero, Optime Pater! qui ut vitae, sic etiam studiorum mihi aux exstitisti. Religioni mihi est, haud palam profiteri et ex intimis animi sensibus, quantum me tibi pro tot tantisque beneficiis, in me collatis, obstrictum sentiam. Tu, quae in filium contulisti beneficia, in discipulum cumulare haud recusasti. Tu, quae in pueri et adolescentis animum sparsisti pietatis semina, in futuro Sacrorum antistite et prolicuisti et aluisti. Tibi gratias referre, quas debeo, nunquam potero; at Deum precor, qui vitam tuam, viresque tuas, Carissime Pater! diu protrahat, ut ipsi tecum gaudeamus, ut Academiae nostrae in longum usque tempus emolumento esse pergas.

Et vobis etiam, Viri Clarissimi, quorum in scholis Literariis, Philosophicis, Theologicis jucunda sane tempora transegi, quorumque familiaribus et frequentibus colloquiis quam plurimum me debere profiteor, Vobis animum praebere gratum nunquam desinam. Faxit Deus, ut, cum ceteris meis praeceptoribus omnibus, ad communem Patriae utilitatem atque decus, diu vivatis incolumesque!

D I-

DISPUTATIO

DE

ALTERA PAULI AD CORINTHIOS EPISTOLA,

ET OBSERVANDA IN ILLA

APOSTOLI INDOLE ET ORATIONE.

PROLEGOMENA.

De Corintho
et
Corinthiaco Christianorum coetu.

Achaja, Graeciae regio variis temporibus varie fuit distributa. Antiquitus hoc nomine dicebatur parva Peloponnesi pars, inter Eleos et Sicyoneos media, ab Achaeis eam incolentibus. Hi, foedere inter se conjuncti, Graeciae turbis fere disjungebantur. Aetolis vero Achaeos prementibus, et Macedonibus, Antigono Gonata duce, Achaeis ceterisque Graecis tyrannos s. reges praeficientibus, renovatum est (anno a. C. 270) Achaeorum foedus, libertatisque studia exarserunt. Hoc tempore Praetor Aratus Achaeis Sicyoneam, Corinthum et Acro-Corinthum adjecit; maximam Peloponnesi

partem a tyrannide vindicavit, et Megarenſes ceteroſque Achaeorum inſeruit foederi. (1)

At vero, Romanis Graeciam occupantibus, mutata fuit Achajae facies. Hi enim duas Graeciae partes conſtituerunt: Macedoniam, qua continebatur ipſa Macedonia, Epirus et Theſſalia; et Achajam, ſub qua Graecia proprie dicta, Peloponneſus et inſulae circumjacentes fuerunt (2): quae quidem Pauli tempore Achajae ratio fuit. —

In hac autem regione habebatur urbs, *Corinthus* dicta, quae cum ſitu, tum interna conditione laudatur. Inter duo maria, Ionium et Aegaeum, in Isthmo poſita, a Strabone dicitur: *δυοῖν λιμένων κύριος, ὧν ὁ μὲν τῆς Ἀσίας, ὁ δέ τῆς Ἰταλίας ἐγγύς ἐςιν.* (3) Horum portuum alter dicebatur Cenchraeae, ab urbe diſtans 70 ſtadia, Lechaeus alter. Condita fuit Corinthus ad radices montis Acro-Corinthi. (4)

Civilis urbis conditio haec fuit. — Triginta annis, poſt reditum Heraclidarum in Peloponneſum, Corinthi regno potitus fuit Aletes, quod ejus poſteri per 417 annos obtinuerunt. Sed diſtructo regno civitatem adminiſtrarunt 200 cives, e Heraclidarum gente orti, et *τῶν πρυτανεῶν* nomine inveſtiti. Verum non niſi per breve temporis ſpati-

(1) Cf. Pausanias in *Achaicis*, Edit *Kuhnii* l. 7. c. 1. et l. 6. c 17. p. 521., 536 Strabo *Geogr.* Ed. *Siebenkeeſii.* Leipz. 1801. t. 3. l. 8. c. 7. §. 3. p. 297 ſqq. Paus: in *Corinthiac.* l 2. c. 8. Pomponius Mela *De ſitu Orbis*, ed. *Gronov.* l. 2. c. 3. p. 172 (2) Cf. Cluverius *Geogr.* p. 329 ſqq. (3) Strabo l. l. l. 8 c. 6. §. 20. p. 259. (4) De ipſa urbe, ejusque monumentis cf. Strabo l. l. §. 22. p. 271. Pausanias l. l. c. I-VI. paſſim.

tium urbi praefuerunt. Post 90. enim annos (anno a. C. 660) Cypſelus, Corinthi rex factus, cum posteris, per 70 et quod excurrit annos, regnum tenuit; quibus mortuis urbs bene fuit adminiſtrata. Dein vero Graeciae fatis plerumque implicabantur; uti in bello adverſus Xerxen (1). Bello autem Achaico, ab iis moto, (a. 146) Romanis ſubjecta fuit Achaja, in provinciae formam redacta, et Corinthus a Mummio ita everſa, ut Cicerone teste, ejus vestigia vix relinquerentur. — Posrea a Julio Caeſare restituta, coloniae loco habita, mercatura floruit, (2) iterumque evaſit, quae olim a Pindaro dicebatur: *ὀλβία Κόρινθος*.

Urbem enim ſitus mercaturae aptisſimam reddidit, et Aristides Corinthum *ἀρχεῖα Ποσειδῶνος καὶ βασιλεῖαν καὶ ἀυλὴν* vocavit. (3) Hinc Graeciae forum habebatur, in quo terra marique mercatura ageretur. Undique huc confluebant Graeci, ut diceretur *κοινὴ πάντων καταφυγή· καθάπέρ τις ὁδὸς καὶ διέξοδος ἁπάντων ἀνθρωπων... καὶ κοινὸν ἄςυ των Ἑλλήνων... μητρόπολίς καὶ μήτηρ*. (4) Corinthus item Aſiae et Europae evaſit emporium; nam Occidentales populi, maxime Itali Siculique mercaturam in Corinthi portu altero, Orientales in altero, habebant. Haec divitiis cumulavit urbem, quibus ad *ακμην* ſuam pervenit; et adeo mari valuit, ut mercaturam tueretur; nova

et-

(1) Herodotus *Hiſt.* Ed. *Schweighauſeri* Arg. 1816. T. 2. l. V. 92 ſqq. pag. 492. T. 3. VII. 202. p. 3:3. V. 75 cet. — De urbis historia conſ. Gurtleri *Orig. Mundi*, l. 2. c. 23. (2) Strabo l. l. §. 23. p 280. (3) Aristidis *Orat. Isthmica* obvia in *Oper. omn.* Oxon. 1722. t. 1. p. 22. (4) Arist. l. l. p. 23.

etiam multa invenerunt cives, et in his naves (triremes dictas), tunc adhuc non cognitas.

Protulit quoque egregios belli duces, inter quos Timoleontem vidit, cum insigni copia virorum *ἀγαθῶν εἰς τὰ πολιτικὰ* (1); ipsique Corinthii colonias duxerunt Syracusas et Corcyram. (2) Habebantur autem ad templum, Neptuno dicatum, celebres ludi Isthmici, ne deleta quidem Corintho intermissi. (3) In hanc urbem Judaei sese contulerant, qui patriis relictis arvis, eas inprimis appetebant regiones, in quibus mercaturae studiis indulgere possent.

Quae autem vitia vulgo divitias comitari solent, luxuries et *morum corruptela*, ea Corinthum perdiderunt. Haec inprimis vitia post restauratam urbem, et amplificata mercaturae studia ibi grassabantur. Antiquitus jam lucri studio eos flagrantes notarunt veteres. (4) Huc superbia ac fastus, a Graecis usurpata, accedebant. Cum autem Graecorum Mythi gentium urbiumque origenes plerumque spectarent, Corinthii urbis et gentis suae primordia ab ipsis repetierunt Diis. Ita Corinthus, Iovis filius, urbem condidisse, Neptunus sedem quondam illic habuisse, eamque tuitus fuisse dicitur: et Sisyphum, Bellerophontem, alios, suos dicebant proavos. Corinthii vero, urbis opulentia et fama elati, mollitiei sese dederunt. Olim jam se-

(1) STRABO l. I. p. 23. p. 281. (2) THUCID. L. I. c. 25. L. VI. c. 3. (3) PAUS. l. I. L. 2, c. 2. (4) Legantur omnino, quae ex veteribus petiit, et egregie tradidit, BARTHELEMY *Voyage du jeune Anacharsis en Grece.* Paris (An 7.) T. 3. p. 375 sqq.

feminarum pulchritudine inclaruerat urbs. Ita enim Anacreon:

. . . . ἐκ Κορίνθου
θὲς ὁρμαθοὺς Ἐρώτων·
Ἀχαίης γάρ ἐςιν,
Ὅπου καλαὶ γυναῖκες (1).

Jam vero acquisitis opibus, impudicum Veneri tribuebant cultum; quapropter *Veneris urbs* dicebatur Corinthus, cui templum erat in summo vertice montis, in quo mille famulae publice alebantur, cultum deferentes Veneri. Quid plura! Graeci hominem voluptati deditum Κορινθιαζόντα dicebant, Paulus hocce vitium in priori Epistolâ perstringit, et Chrysostomus eam dicit: πόλιν τῶν οὐσῶν τε καὶ γεγενημένων ἐπαφροδιτοτάτην (2). — Studium autem honesti et decori illa humani generis aetate nondum penitus invaluerat, Graecique universe ad voluptatem fuerunt proni, et Corinthi, quo undique confluebant homines, qui, sua studia conferentes, morum depravationi locum darent, vitia ad culmen processerunt.

Clara itaque, at corrupta Corinthus, divitiis et luxuriâ Athenas superabat, contra *doctrinarum* ac *philosophiae studio* ab iisdem vincebatur. Illic tamen antiquitus philosophiae studia floruerant. Periander enim, septem Graeciae sapientibus annumeratus, et Diogenes, Philosophus ille Cynicus, multum illic versabantur. Pingendi fingendique et alias artes Corinthi, aeque ac Sicyone auctas

(1) Anacreon Od. 32. cf. Plato *de Repub.* ed. *Bipontin.* T. VI. l. 3. p. 299. (2) Chrysostomus *Orat.* 37.

ctas fuisse affirmat Strabo (1); et architecturam Corinthiacam quis ignorat, aut tabulas militum vi projectas, Romamque abductas? (2) Dein in omni hoc Isthmo tot ubique literarum thesauri, tum per vicos, tum per porticus, gymnasia quoque, et scholae, et disciplinae et „ ἰςορημάτα" celebrata sunt, ut σοφὸν δὴ καὶ καθ' ὁδὸν ἐλθὼν ἂν ἔυροις. „ Sapientiam etiam in triviis reperias." (3)

In celeberrima hac Graeciae urbe, in qua Graeci, Judaei aliique complures populi mercaturae causa versabantur, *coetus* conditus est *Christo dicatus.* Huic autem aptissima erat urbs. Nihil quidem ad propagandam Religionem Christianam fuit efficacius, nisi quod Christi doctrina annunciaretur in urbibus locisque, fama et incolis, mercaturâ celebratis, quae Evangelii inter varios homines variasque gentes propagandi opportunitatem praeberent. Haec omnia inprimis valuerunt Corinthi, quae non, ut Sparta, a commercio cum exteris erat aliena. Corinthi ita annunciato Evangelio, ulterius annunciari potuit. — Praeterea alia aderat opportunitas, quae urbem ad Evangelii annunciationem idoneam reddidit, Judaeos incolas puta. Fateor, Judaeos hoc tempore inprimis impedimento fuisse Apostolis; veruntamen nisi Corinthi adfuissent Judaei, Paulo aliisve defuisset forte opportunitas, internam urbis conditionem accurate indagandi, incolarum studia perscru-

(1) Strabo l. l. l. 8. c. 6. §. 23. pag. 281, 282. (2) Strabo l. l. §. 23. p. 279. (3) Aristides l. l. t. 1. p. 24. Operae pretium sit, haec omnia uberius exponere, et Corinthi antiquam conditionem accuratius indagare.

ſcrutandi, et maxime vitae conſuetudine utendi incolarum, iisque ſeſe inſinuandi. Judaeos enim a vitae commercio cum Graecis, quibuscum mercatura erant conjuncti, abhorruisſe, nullae ſunt, quae nobis perſuadent, rationes.

Ita vero cum res Corinthi comparatae esſent, Paulus, annunciato Evangelio Palaestinae, ceterisque Aſiae minoris et Macedoniae incolis, Philippis, Thesſalonicae, Berœae, et deinde Athenis, Achajam petiit, et Corinthi cum Aquila et Priscilla vitae commodis conſuluit, et quovis Sabbatho edocuit Judaeos et Graecos, Moſaico cultui adſtrictos, Religionis doctrinam. Deinde vero Christum tamquam Mesſiam iis proponenti, Judaei ei erant ἀντιτασσομένοι καὶ βλασφημοῦντες. (1) — His ita refragantibus Divinum de Jeſu nuntium tulit Gentilibus, Corinthi degentibus, quorum multi fidem habuerunt Evangelio, inprimis etiam viri, genere et meritis nobiles; quo novo praeſidio coetus maximopere firmabatur. Per annum et dimidium inter Corinthios verſatus, et coetu, adjuvantibus Aquila, Sila, aliis, condito, Epheſum fuit profectus, nec tamen Corinthiacos Christianos neglexit. Timotheus, eo misſus, Pauli vestigiis inceſſit, eandemque propoſuit de Christo doctrinam. Hunc enim Corinthi adſuisſe, patet ex loco Act. XIX. 22. ubi Paulus in Macedoniam miſisſe dicitur Timotheum et Erastum, quorum prior in Achajam tranſiit, quo jam ante ſcrip-

(1) Act. XVIII. 6. Legatur de his conjectura Mosнемii *Verklaring van Paulus brief aan de Corinthen* T. I. p. 10.

ſcriptam priorem ad Corinthios epistolam, misſus dicitur, 1 Cor. IV. 17.

Postquam Epheſum profectus erat Apostolus, Apollos, origine Alexandrinus, Corinthum venit, et coetum amplificavit. Hic enim Alexandriae Judaeorum ſtudia et de Deo doctrinam edoctus, ceterum eloquentia praeclarus, ſtrenuum ſe dein gesſit Christianae Religionis adverſus Judaeos vindicem. Diſerta ſane valuit oratione, cujus ſtudioſi erant Graeci, quaeque magnam apud eos vim habuit. De Petro autem, num Corinthi Christianos docuerit, obscura est disputatio. Illum vero dein Corinthi fuisſe, docet Dionyſius Episcopus, referente Euſebio; at ei ſidem denegat Storrius (1).

Corintho profectus, et inſtituto per Aſiam minorem itinere, Paulus Epheſi per biennium vixit. Hac in urbe, cujus frequens erat cum Corinthiis commercium, varia, cum jucunda, tum tristia de Corinthiacis Christianis audivit, et ſcripſisſe videtur ad eos *Epistolam*, hodieque deperditam, 1 Cor. V. 9. Quam enim Armenice ſcriptam typis mandarunt Wisthoni filii, et Moſis Cheronenſis *Historiae Armenicae* adjunxerunt; aeque ac illam, quam ex Codice *Masſoniano* edidit Wilkins ſpu-

(1) Eusebius *Hist. Eccl.* l. 2. c. 25. Storr. *Notitiae Hist. epistolarum ad Corinthios interpretationi ſervientes* obviae in *Opusc. Theol.* III, Tub. 1788. § 5. p. 16. Mosheim l. l. p. 10. Leg. Hess. *Geſch. und Schr. der Apost.* 1er theil bl. 337-343 en 353 cet.

ſpurias eſſe Epistolas, docuerunt Doctorum virorum labores. (1)

Illa vero ex epistola, quae deperdita videtur, dubia quaedam fuerunt enata in eorum coetu; quae ut expedirent, 1 Cor. XVI. 17. Stephanum, Fortunatum, et Achaicum miſerunt Epheſum, et veriſimiliter iis literas ad Paulum dederunt; ſive mavis, hi Apostolum Epheſi adierunt, accepta jam a Corinthiis epistola, eique ulterius expoſuerunt coetus conditionem; in ea ſaltem Apostolum de variis rebus, quae in disputationem venirent, conſuluerunt, 1 Cor. VII. 1. Sed et haec periit Epistola, multaque ſic ignoramus, quae alioquin nobis innotuisſent. Videtur autem illa epistola egisſe de conjugii libertate, (quae quaestio forte a nonnullis Eccleſiae ſociis fuit agitata;) de divortio; de immolationibus, Deastrorum cultui ſacris; de donis *πνευματικοῖς*, aliisque.

Acceptis itaque his literis, per Chloes familiam, et dein per coetus legatos, de Corinthiis certior factus, et forte etiam fama eorum vitiis auditis 1 Cor. V. 1., alteram ad eos Epistolam (a nobis priorem dictam.) ſuo more Sostheni ſcribendam dictavit, et veriſimiliter per coetus legatos (uti recte docere videtur Epistolae *ὑπογραφη*) ad eos miſit. Hac autem Corinthios varia edocuit officia erga Deum

(1) Cf. Mosheim l. l. p. 254. Michaelis *Inleid. in 't N. V.* T. II. P. I. p. 486. Storr. *Not.* l. p. 34. not. 62. Gabler. *Diſſ. Crit. de Capp.* IX-XIII. *posterioris Epistolae ad Cor.* pag. 40. Nonnulli Wisthoni Epist. ſeculo 4 aut 5 conſcriptam putant, quo melius Manichaeis ſeſe opponerent, cf. Mosheim l. l. p. 17.

Deum et homines, fectarum ftudia quam maxime carpfit, de plurimis rebus, quae hodie apud illos obtinerent, eos admonuit, iisque perfuafit v. c. de mortuorum refurrectione, epulis facris, vestimentorum ufu; verbo: Paulus in illa non Evangelii doctrinam univerfam propofuit, fed ea modo tractavit, quae id temporis Corinthiis fcitu erant necesfaria. (1)

Hisce liceat obfervationem addere, de rite dijudicandis coetibus Christianos inter Gentiles conditis. Nonnulli Christianos illos putant, nullo fere vinculo junctos cum ceteris urbis incolis, et alia prorfus praeditos indole, quam quae antea illis fuerat. At caveamus nobis ab horum errore. Iidem manferunt homines. Indolem enim patriam vel propriam non mutarunt, nec fefe a ceteris urbis incolis prorfus fepararunt. Mutata quidem Religione, emendabatur eorum indoles, at vero non mutabatur. Internos quidem animi fenfus evehebat Religio, at vincula non folvebat, quibus cum ceteris incolis erant conjuncti; id quod inprimis Corinthi ob mercaturam haud obtinere potuit. —

(1) De ejus argumento cf. praeter Interpretes, MICHAELIS l. l. T. II. P. I. p. 496. et uberius Ill. DE PERPONCHER in de *Verklarende Inhoud*, *voor den eersten brief aan de Corinthiers* p. XIV-XLVIII.

SEC-

SECTIO PRIMA

DE

ALTERA PAULI AD CORINTHIOS

EPISTOLA.

Nihil fane a Paulo fcriptum est, de cujus indole, charactere, forma et argumento magis discrepant interpretes, quam de hacce Epistola. Pro varia enim ratione, qua coetus conditionem, Pauli in fcribendo affectus et confilium accipiebant, varium ejus dixerunt argumentum, variamque formam; et alias protulerunt conjecturas, certo fundamento deftitutas. — Equidem ergo pro juvenili parte internam Ecclefiae Corinthiacae conditionem, et univerfe ipfam hanc Epistolam, ejusque indolem, indagabo. Quod ut recte a me fiat, et Pauli verba, et temporum conditionem obfervare conabor.

§. 1.

De interna Ecclefiae Corinthiacae conditione, eo, quo fcripta est Epistola, tempore. (1)

Vera Epistolae explicatio inprimis ab internae Ecclefiae conditionis notitia pendet, quae ut cognos-

(1) De ea praeter alios egerunt STORR. *Notitiae* l. MICHAELIS *Inleiding in 't N. V.* t. II. part. I. p. 455. cet. Cl.

gnoscatur, *primum* depravata coetus conditio, *dein* quae laudabilia in eo occurrunt, paucis notentur.

Et Corinthi quidem Christi coetum vitiis abundasse, quis miretur? Praecipua enim illorum causa in eo cernitur, quod coetus hic in urbe coactus esset, quae incolarum copia, et mercaturae studio insignis, morum depravatione in deterius erat prolapsa. Quapropter fieri vix aliter potuit, quin vitia illa in ipsos Christianos redundarent. Sensim enim sensimque ita Christianis Euangelium annunciabatur, quorum vita moresque Ecclesiae noxam et calumniam inferrent. Praeterea Christiani vitae commercio cum Gentilibus, iisque depravatis utentes, horum vitiis pravisque studiis, tanquam malis venenis, inquinabantur, ne dicam, inficiebantur. Denique Graecorum indoles in eorum plurimis dominabatur, et studia in iis excitabat, rei Christianae admodum adversa. Num vero haecce depravatio (Christianorum numerum si spectes) longius quam alibi se exseruerit, de eo jure dubites, cf. 1 Cor. III. 3.

Hinc vitia et errores. Hinc morum corruptela. Quae omnia ad *sectarum* et *dissidiorum studium* referenda videntur. Hujus autem studii origo et causae, ex temporis illius conditione sunt repetendae.

Scilicet Graeci, philosophiae dediti, sectarum et disputandi studiis ab antiquo inde aevo ferebantur,

Cl. Greeve *de Brieven van Paulus* D. 3. p. 20. F. A. G. Krause *Pauli ad Cor. Epistola* I. Francf 1792. Prol. p. 35 sqq. J. P. Gabler *Dissert. Critica* I. Gott. 1782. p. 55 sqq. Hug. *Einl. in d. N. T.* II. bl. 243 sqq.

tur, et philosophos continue sectam scholamve condentes sequi consueverant. Eorum itaque plurimi initio Religionem Christianam sectae philosophicae instar habebant; (1) saltem philosophiae et sectarum studium ad Religionem convertebant. Quod autem Judaeos attinet, hi Graecorum studiis plurimum jam imbuti fuisse videntur; (2) Graecorum enim regiones Palaestinae arvis praeferebant, Graecaque utebantur lingua: quin et Flavius Josephus tria apud Judaeos *philosophorum* genera fuisse dicit, Pharisaeorum, Sadducaeorum et Essaeorum; quam tamen sectarnm originem negavit Cl. Hamelsveld. (3)

Ex hac autem Graecorum et Judaeorum societate dissidia oriebantur. Diversae enim de divinis rebus opiniones, quibus antea imbuti erant, adhucdum vim suam in eorum mentibus exserebant, et in diversa multa eos trahebant. Inprimis hoc obtinuit inter Judaeos, iisdem immunitatibus cum gentilibus usos, quos antea Deo suo exosos habuerant. Hoc quidem studium haud minimum excitasse videntur illi Judaeo-Christiani, qui ex Palaestina advenae, Religionis Ch: praeceptis penitus nondum erant imbuti. Talia dissidia Romae, Ephesi, inter Galatas cet. invaluisse, ex Pauli epistolis liquet, et inde est explicandum, ubique fere falsos doctores Paulo sese opposuisse. Verum ejusmodi sectae aliis in coetibus adeo non exstiterant: varia enim haec

(1) Hoc inde confirmatur, quod licitum non fuerit in Graecia publice novam religionem inducere; itemque ex Romanorum ratione Act XVII. (2) v. c. Judaei Beroenses Act. XVII. 11, de quibus conf. Hess. *Geschichte* l. 1er theil 3er b. 3 h. p. 321-325. (3) Joseph. *de Bello Jud.* l. 2. c. 12. et Hamelsveld *Kerk. Gesch.* I. D. p. 12.

haec ſtudia, tum Graecorum, tum Judaeorum, unam in ſocietatem coactorum, ſectas condiderunt Corinthi, cum opportunitatem praeberent, quominus omnem ſuam indolem exſererent Graeci, et disputandi ſtudio ducti in Sectas ſeſe dividerent; quippe Corinthi illa philoſophiae ſtudia inprimis invaluerant. Vel ſic tamen non nego haecce ſtudia apud eos ulterius proceſsiſſe, quam in ipſis Graecorum ſectis; ut nonnunquam odium inde oriretur, quod ex Jud. et Graec. ſocietate repetendum videtur, cf. 1 Cor. III. 3, 2 Cor. XII. 20. cet. — Alia proferendi hujus ſectarum ſtudii opportunitas cernebatur in variis Evangelii doctoribus et Pſeudodoctoribus. Alii enim Paulo, alii Apollo nomen dabant (1), alii aliis, quarum ſectarum origo et ratio e ſectis Graecis videntur explicandae; ut colligi poteſt e temporis conditione et Pauli effatis.

Si Pauli ad Corinthios epiſtolas attente legamus, dubio caret, inſignem hujus coetus ſociorum numerum Apoſtolo morem geſſiſſe. Sed et in hisce ſectarum ſtudioſi aderant, qui publice ſeſe *Paulinos* profiterentur. Inter hosce nonnulli fuiſſe videntur, qui obſervato Apoſtoli ſtudio abrogandae legis Moſaicae, et religionis purae inducendae Philoſophiam Graecam cum religione Chriſtiana conjungerent. Plurima enim religionis dogmata, quae naturalis ratio item doceret, inprimis tractarunt; alia vero philoſophorum effatis adverſa, negle-

(1) Quae enim nonnulli e vi vocis *μετασχηματιζω* de fictis nominibus putarunt, refutata videas a STORRIO *Notitiae l.* § 3. p. 7. et KRAUSE l. l. p. XXXI.

glexerunt. Cf. 1 Cor. III. 18-20. (1). Tales forte fuerunt Epicurei, ad sacra Christiana conversi, qui mortuorum resurrectionem negarent, et cum Sadducaeis se jungerent (2). Forte et alii, Neoplatonicorum placitis imbuti, iis se adjunxerunt Judaei, cf. 1 Cor. I. 20. II. 1, 4, 6. III. 4. cet. — Ab hisce autem omnino illi Paulini sunt distinguendi, qui perversis hisce doctrinis haud indulgerent, sed Pauli institutioni adhaererent.

Apollonii autem Eloquentiae studia (quae apud Graecos cum philosophia erant conjuncta) excoluisse videntur, omnemque impendisse operam, qua diserta et eloquenti, ut iis videbatur, oratione religionem proponerent. Verum enim vero haud semel ea neglexerunt, quae ad germanam Religionis indolem pertinere censenda sunt. Forte etiam, Sophistarum more, in medio coetu vim et facultatem oratoriam ostentabant. 1 Cor. I. 17. Hi placita sua et docendi rationem Pauli doctrinae et methodo longe praestare autumantes, non animadvertebant, Paulum et Apollon eandem proposuisse doctrinam, sed utrumque sua ratione; quod aperte patet ex iis, quae de Apollo referuntur, et ex Pauli de eo testimonio, 1 Cor. III. Hi tandem levem dicebant praesentem Apostolum, cujus epistolae *βαρεῖαι* erant.

Vitia nonnulla in Epistolis commemorantur, de quibus dubia est disputatio, num ad Paulinos, an ve-

(1) Cf. Cl. Greeve *Voorberigt* l. p. 23, sqq. et Storr. l. l. § 7. (2) Hoc negavit Cl. Greeve l. T. II. p. 13. at vid. Storr l. l.

vero ad Apollonios ſint referenda. Cum autem Paulus et Apollos amicitiae vinculum Judaeos inter et Ethnicos firmare ſtuduerint, et praecepta unice Moſaico cultui apta abroganda docuerint, nonnulli eorum ſectatores nimis gentilium uſi fuiſſe videntur commercio. Hi in Deastrorum templis cum iis verſabantur: hi ſacris eorum epulis intererant: hi in publico cultu celebrando eorum retinebant mores, modosque vestitus feminarum, crinium cultus, cet., de quibus Paulus agit 1 Cor. XI. XII. XIII. XIV. 6. cet. — Quibusnam ceteroquin rationibus ab Apolloniis Paulini diverſi fuerint, vix ac ne vix quidem quis certo definiverit, quia eloquentiae et philoſophiae ſtudia arctisſimo apud Graecos conjuncta erant vinculo, 1 Cor. I. 20. II. 1, 4, 6. et Judaeos inter et Graecos ea erat necesſitudo, ut in plerisque vix discerni posſint. — Eatenus vero convenientia inter utrosque cernitur, quatenus liberalior in iis prae ceteris dominaretur indoles, quae vero (ut ſaepe fit) in licentiam abiit.

Verum aliae inſuper fuerunt ſectae. — *Petro* enim alii, alii Christo nomen dabant. Judaei Hieroſolymis, vel in patria fortasſe a Petro ad Christum converſi, (1) et ſuis placitis inhaerentes, Religionis Christianae doctrinam cum Moſaica conjungere ſtuduerunt, et Corinthiorum animos, ad ſectarum ſtudia pronos, ſibi conciliarunt. Complures itaque ſibi ſocios inter Judaeo-Christianos nacti cum his Petrum magistrum ſectati ſunt; quippe Petrus Evangelii apud Ju-

(1) Cf. STORRII *Notit.* l. p. 16. ſeqq. et KRAUSE l. l. p. XXXV. ſqq.

Judaeos nuncius, aptior videbatur Paulo ad commoda Judaeorum curanda. Hi autem Pauli operam irritam reddere conabantur, ei obſistentes. Contra vero iis ſeſe opponit Paulus, in priori alterius Epistolae parte.

Qui vero Christo nomen dabant, *Jacobi* (docente Storrio) (1) veriſimiliter fuerunt *ſectatores*; ſuperbientes ſibi non Religionis magistrum fuiſſe Paulum vel Apollon, qui nunquam vitae conſuetudine cum Christo erant uſi; vel Petrum, qui quidem Christo cognatus non fuit; at Jacobum jactabant religionis doctorem, propinquum Christi et neceſſarium, externaque cum Christo conjunctione ſe efferebant (καυχώμενοι ἐν προσώπῳ), quorum multi erant Judaeo-Christiani (2).

Quidam autem fuiſſe videtur, qui nuper advenerat, ante conſcriptam alteram ad Corinthios Epistolam, 2 Cor. X. 4; forte ex Petrinis vel Jacobitis, cui valde ſe oppoſuit in altera Ep. Paulus (3).

Ex his autem litibus varia oriebantur *vitia*, et perverſi Corinthiorum mores; v. c. litigabant coram judicibus Ethnicis, modus iis erat inordinatus ſacrae coenae celebrandae, aptior ad discordiam, quam quidem ad concordiam, alendam, 1 Cor. XI. 17; aemulatio de donis πνευματικοῖς, alia.

Num autem praeter a me allatas, plures Corinthi invaluerint ſectae, ſilente Paulo, non liquet. Quousque vero hae lites proceſſerint, multi disputa-

(1) Cf. Storr. l. l. § 4. Krausi l. l. p. xxxxvii, ſqq. (2) Uberius de iis egit Storr l. l. § 3 et 4, quae repetere non lubet. (3) Vid. infra Sect. I. §. 3.

tarunt (1). Ecclesiam Corinthiacam binas in partes scissam fuisse multorum fert sententia, non satis tamen, uti videtur, comprobata. Alii quidem alios sequebantur magistros. Alii aliis sese opposuerunt, sed (uti Graeci fere in suis sectis) a mutuo vitae et religiosi cultus commercio haud abstinebant; (2) contra in eodem congregabantur templo, quos adeo placida oratione per utramque Epistolam conjungere studet Apostolus, (3) ut ita omne inter eos tollatur dissidium. Neque vero Paulus unam alteramve modo reprehendit sectam, sed omnes omnino Christianos, quatenus vitiis erant infecti, arguit (4). Interpretes saepe Paulinos et Apollonios partem dixerunt Paulinam s. anti-Judaicam, Petrinos et Jacobitas partem anti-Paulinam; id quod tamen dubitandum videtur. In multis quidem illi consenserunt; sed an ideo in duas partes abeant necesse est? — Plurimi enim Apollonii Paulum contenderunt, eloquentia fuisse destitutum, eumque non tantum minimi duxerunt, sed eidem calumniati fuerunt. Hi itaque ad Paulinam partem immerito referuntur. Quod autem Apostolus conjunctionem, quae eum inter obtineret et Apollon, continue probet, et imitandam commendet, hoc eo consilio fecisse videtur, ut Apolloniorum sibi conciliaret gratiam, et quia cum Apollo coetum condiderat; Petrus aut Jacobus non item. Partem autem anti-Paulinam, quam dicunt, Paulum omnino repudiasse,

(quod·

(1) Quae de Unico Pauli adversario monuerunt GROTIUS et MICHAELIS *Inl.* l. l. p. 461, refutavit STORR. l. l. (2) Quod egregie probavit STORR. l. l. § 2. (3) Ita 1 Cor. III. 22. XV. 5 et 7. cet. (4) cf. cl. GREEVE l. l. T. II. p. 12.

(quod Lockio concedit Storrius) de eorum doctoribus, non de omnibus sociis affirmandum puto, qui quidem suos doctores illi praetulerunt, sed qui omnes non plane eum repudiaverint. (1) Unde factum, ut ad illos Epistolam scriberet, qua eos ad pacem (2) et concordiam revocare, iisque omnibus persuadere conabatur.

Ne quis autem dicat, lites, quae inter illos vigerent, conscripta priori Pauli Epistola, jam fuisse sopitas, quum alteram conscriberet, observamus, uno eodemque anno utramque conscriptam esse Epistolam. Forte vitia sensim sensimque fuerunt deleta, litesque finitae, sed haud parvo momento id fieri potuit: non ea enim est humanae naturae ratio. Paulus in priori Epistola ipsas lites perstringit; inque posteriori inprimis reprehendit pseudodoctores, qui nimiam adhucdum nanciscebantur auctoritatem, et varias illas sectas, quibus multi jam valedixerant, retinere studebant.

Alia autem fuere, quae laudi ducerentur Corinthiis. Gravi oratione hac in Epistola Christianos monet

(1) Locke *Paraphr. Erkl. über Pauli briefe an die Galaten. Kor.* cet. p. 100, 135. et Storr. l. l. p. 27,
(2) Hoc negavit Doct. Storr. l. l. p. 31. not. 54. scribens „ in altera Epistola Paulo praecipue res est cum Anti-Judaica parte" de quo omnino dubitandum videtur. Paulus sane nunc hos, nunc illos, recenset, pro variis eorum vitiis, variaque, quam tractat, re. Quid! quod ipse Storrius „ in extrema, inquit, epistola oratio expressius ad reliquos convertitur." Praeterquam quod Cap. VIII et IX. *omnes* omnino spectat Neque accurate dicitur, „ epistolas ad Corinthios principaliter ad Ecclesiae illam partem, quae amica fuit Apostolo, directas fuisse" cf. pag. 72; quippe major Epistolae pars est contra adversarios, saepius contra Judaizantes.

net Paulus, ne falsis obsequantur doctoribus, tametsi sciret non omnes iis morem gessisse; recte autem sentientes post missam priorem Epistolam numero increvisse, antea monui, et hos inprimis laudat Apostolus. Ceteroquin egregia erant conditione. Testis sit ipse Paulus, qui ἐν παντι „ ait" ἐπλουτίσθητε ἐν αὐτῷ (χριστῷ), ἐν παντὶ λόγῳ, καὶ πάσῃ γνώσει. Interprete Krausio „ liberalissime vobis exhibita sunt per ipsum beneficia omnis generis, perfecta et absoluta religionis doctrina et notitia." 1 Cor. I. 5, 6. (1) Praestans itaque fuit Corinthiaci coetus conditio, *doctrinam* et *notitiam* si spectes; verum et τὸ μαρτύριον τοῦ χριστοῦ ἐβεβαιώθη ἐν (αὐτοις), itaque iis adeo erat persuasum, ut non amplius dubitarent. (2) Doctrinae et notitiae *fidem* junxerant, eamque talem, ὥστε μὴ ὑστερεῖσθαι ἐν μηδενὶ χαρίσματι „ ut nullo privarentur beneficio divino." His verbis egregia sane de iis praedicantur. Cap. autem XVI. 15-17. edocemur, plures ibi adfuisse, quorum sincera fides, et laudanda pietas maxime celebrantur. Quid autem prohibet, quominus illud de plerisque intelligamus?

Denique vitiosa multa haud amplius apud eos vigebant; hinc eos esse, ait, Epistolam suam commendatitiam, 2 Cor. III. 2. et variae illi erant de iis laetandi causae, VII. 7. sqq. — Haec omnia nobis persuadent, Corinthios, etiamsi nonnulli eorum sectis locum darent, et vitiis notarentur, plerumque perquam fuisse laudandos.

§. 2.

(1) F. A. G. Krause l. l. p. 5. (2) μαρτύριον) עדה vel עדות Jes. 8. 20. Explicatur 2 Tim. I. 18. per *Evangelium.* βεβαιωθῆναι) idem ac σφραγίζεσθαι, de quo infra, cf. 2 Cor. I. 22.

§. 2.

De tempore, loco et consilio, quibus scripta est Epistola.

In genuina Epistolae forma indaganda inprimis disquirendum est de loco et tempore, quo Epistola conscripta sit, dein quodnam fuerit Pauli in ea conscribenda consilium.

1. Quod igitur ad *tempus* attinet, quo conscripta fuerit Epistola. Paulum brevi post conscriptam priorem (quam vulgo dicimus) hancce exarasse, ex illius argumento satis constat. „ Neque statim post priorem, neque multo post scripsit Paulus hanc Epistolam" ait Grotius, et cum eo faciunt plurimi, inprimis Wolfius, ceterique ab eo laudati. (1) Heumannus, Heideggeri sententiae calculum adjiciens, (2) eam, praeterlapso fere unius anni spatio, post priorem conscriptam statuit. Sed de computando anno dissentiunt, pro varia ratione, qua Chronologiam sacram constituunt. Ven. Bosveld Epistolam conscriptam putat, media anni 53 aestate; Schutte et Hamelsveld, mense Octobri anni 54; Cl. Greeve, mense Oct. anni 55; Ven. v. Vloten annos inter 54 et 56; Beausobre et l'Enfant, anno 56; Millius et Fabricius, anno 57; Rosenmullerus Michaeli consentiens, anno 57 vel 58; denique Hugius, anno 59. (3) Quid de hisce statui debeat, haud

(1) WOLFF. *curae Phil. et Crit. in 4 priores Pauli Epistolas* Hamb. 1732. p. 566. (2) HEIDEGGER *Enchiridion Bibl.* I, 3. c. 10. §. 6 p. 556. et HEUMAN *Verkl. van 2 Cor.* p. 3. (3) BOSVELD *Verkl van 2 Cor.* I-V. Inl. p. 2. HAMELSVELD *Aanm.* bij deszelfs vertaling. SCHUTTE *Heil.*

haud ita facile definitur, inprimis nostro tempore, quo de Chronologia Sacra adeo disputant viri Docti. Vogelii (1) tamen ſententia haud omni probabilitate carere videtur. Quam ſi amplecteris, Judaei, anno 52, Roma ſunt expulſi. Paullo post, Act. XVIII. 2, Apostolus Corinthum venit, et illic per annum et ſex menſes verſatus est, ſ. 11, adeoque medio certe elapſo anno 53 Corintho profectus videtur. Itinere vero peracto per duos annos et tres fere menſes (ad anni 56 initium) Epheſi permanſit. His ergo collatis cum ulteriori ejus Epheſi commoratione, Act. XIX. 22. XX. 1. ejusque itinere ibi commemorato; et ſi ſtatuamus priorem ad Cor. Epistolam ante Paſchatis festum fuisſe conſcriptam, Apostolus fortasſe has exaravit literas ad finem vergente anno 56. (aerae Dionyſianae). — Ad Paſchatis enim festum Epheſi verſari Paulo erat in animo, verum orto per Demetrium tumultu, prius inde ſecesſit, et Troada ſe contulit, Macedoniamque petiit. Nec omnino improbabilis est Cl. Greevii conjectura (2) C. XIX. ſ. 10. alludi ad tempus, quo Epistola ad Corinthios perveniret, ſeminibus terrae conditis. — Hac ratione Corinthi hibernandi conſilium exſequi potuit, 1 Cor. XVI. 6, et post Paſchatis festum, anno 57, Philippis Troada abiit, ſ. 16, quo

Heil. Jaarb. T. III. p. 90. GREEVE l. l. D. 3. p. 15. VAN VLOTEN *de Bijbel*, D. 11 p. 576. BEAUSOBRE et L'ENFANT *le Nouv. Test.* p. 8. ROSENMULLER *Scholia in 2 Cor.* p. 3. MICHAELIS *Inl.* l. II. p. 502. coll. 452. *N. T. Gr. ſtudio* MILLII et KUSTERI Prol. p. 3. FABRICIUS *Bibl. Gr.* vol 3. pag. 154. (1) VOGEL *Verſuch über Chron. ſtandpunkte in der Lebensgeſchichte Pauli*, obvium in GABLER's *Journ. fur auſ. Theol. Litt.* 1 B. 2 ſt. ſ. 229 ff. (2) GREEVE l. l. p. 3. p. 16.

quo anno in custodiam datus est. — Nuper Vogelio sese opposuit Doct. Suskind, qui, post Keilii, Vogelii et Eichhornii laborem, existimat, Paulum Gal. II. 1. recensere iter suum Hierosolyma versus alterum Act. XI. 30., non vero tertium, quae Vogelii est sententia; illudque obtinuisse Claudii Imp. anno sexto; statuitque ergo, Jesum esse mortuum, anno 35, eodemque anno, ad Christiana Sacra conversum esse Paulum. Alterum ideo iter instituisse, anno 49, et Corinthum profectum fuisse, anno 55, Claudii $\frac{12}{13}$ U. C. $\frac{804}{805}$, atque hoc anno hanc scriptam fuisse Epistolam. (1) — In tanto itaque V. V. D. D. dissensu Vogelii sententiae assentiendum videtur. Alios autem alia sentientes, lubens ego feram.

2. Opinionum varietas haud minor est in definiendo *loco*, in quo Paulus Epistolam scripserit. — Epistolae ὑπογραφὴ Philippos Macedoniae urbem refert, inque eo conveniunt Millius, Fabricius, aliique, consentiente Wolfio, annuente, ut videtur, Heumanno. Inter alios vero Cl. Greeve huic se sententiae opposuit, cui nequaquam probabile videtur, Paulum, qui Troade Philippos appulisse videtur, et dein coetus in Macedonia visitaverit, denuo Philippos rediisse, ibique ad an-

(1) Suskind *Versuch (Neuer) uber Chron. Standpunkte fur die Apostelg. und das leben Jesu*, obvium in Bengels. *Archif fur die Theol. und ihre neueste Literatur* Tub. 1815 1er B. 1er Th. f. 156-225. II. Band 2er st. f. 297-335. Cf. de Suskindii opinione, quae nuper notavit Criticus in Wachler's *Neue Theol. Ann.* April 1817. S. 345. Denique dedit Ven. Wurm *Astron. Beytrage zur genaherte bestimming des gebürths und Todesjaars Jesu* in Bengels. *Archief* I. II. B. 1e en 2e st. 1816, qui Christum mortuum esse putat anno $\frac{31}{32}$, unde alia rursus computandi ratio oritur.

anni ſinem permanſiſſe. Sunt autem, quae hisce opponantur. Scilicet nullus fere erat in Macedonia coetus adeo laudandus, quam qui Philippis erat coactus. Nec ita mirum, ſi Paulus ibi ſedem fixerit per omne illud tempus, quod in Macedonia degeret, et quocunque ſe verteret, Philippos continue rediiſſe, ibique Epistolam ſcripſiſſe. Verum, ſive Philippis, ſeu in alia quacunque Macedoniae urbe, Berœae, Theſſalonicae, cet, de eo mihi disputare non lubet; quippe eam in Macedonia, esſe conſcriptam ſatis conſtat; Epheſi enim priori ſcripta Epistola, Troada ſe contulit, 2 Cor. II. 13. quumque Christianis valedixisſet., Macedoniam petiit VII. 5., qua in regione Titus eum convenit, quo audito Paulus Epiſtolam conſcripſit.

Illam vero a Paulo dictatam fuisſe Timotheo, indicare videtur locus 2 Cor. I. 1. addito, (ut ſaepe ſolet) ſcribae nomine: quod inprimis fieri ſolet, quando conſuetudo ſcribam inter et coetum intercesſit; uti hic obtinuisſe certo conſtat, 1 Cor. IV. 17. XVI. 10.

Scriptam Epistolam Tito fuisſe mandatam, docet Paulus, VIII. 6, 16. Huic duos adjunxit ſocios ſect. 18-24, ab eccleſiis Macedonum electos, et eleemoſynarum pro Christianis Hieroſolymitanis apud Corinthios curam gesturos; quorum uterque ignoratur. „Non pauci intelligunt Lucam, alii Barnabam, alii Marcum, alii alium, ſed certi nihil definiri potest, nec magni refert, quisquis is fuerit." (1) Pro Luca tamen multi militant. (2)

Ti-

(1) Rosenmuller l. l. ad 2 Cor. VIII. 16. (2) Legan-

Titum quidem literas Corinthum adduxisſe, quod Pauli fuerat conſilium, negavit Cl. Greeve; atvero haec ſententia conjectura nititur; de qua dein. (1)

3. Igitur in Macedonia Paulum hanc ſcripſisſe Epistolam conſtat, quaenam vero ſcribendae ejus cauſa fuerit, et quodnam Pauli *conſilium*, proximum est, ut exponam.

Paulum paterno amore Corinthios fuisſe proſecutum, testes ſunt Epistolae ad eos ſcriptae, labores in eorum gratiam tolerati, curae ac ſollicitudines, quibus ob eos angebatur; Apostolo itaque in votis erat coetum huncce in nobilisſima Graeciae urbe coactum, ad Evangelii puritatem, morumque ſinceritatem adducere; quod ut faceret omnem impendit operam. Frustra quidem Troade et in Macedonia Titum, a Corinthiis reducem, exſpectabat, nec dum abesſet requiem animus habebat, II. 12. Tandem autem rediit Titus, multa ei de Corinthiis enarrans. Ex eo enim Paulus Epistolam ſuam magnam vim et efficaciam in Corinthios habuisſe audivit, et multum valuisſe ad Christianos emendandos. Haec Apostolum impellere poterant, ut Corinthum peteret, et curam gereret Eccleſiae Corinthi coactae, eosque praeſens gaudio afficeret. Sed ei obſuerunt multa, *cum* in Macedoniae coetibus, *tum* in ipſis Corinthiis, quae ſimul conſcribendae Epistolae opportunitatem praeberent. — Quippe Paulus h. t. eccleſiarum commoda curabat, quibus non conſuluisſet, ſi Corinthum venerat, et multa forte neglexisſet, ad

quae

gantur quae de Eo monuit Cl. GREEVE Voorb. p. 16 ſqq. et qui fuſe hoc argumentum tractavit MICHAËLIS *Inl.* I. D. II. St. 1. bl. 322. et 502. ſqq (1) ad §. 4.

quae conſtituenda locus ei id temporis erat opportunus. Inprimis autem dilexit Philippenſes, hique dilexerunt Paulum. Quibus, ut aliquamdiu apud ſe maneret, petentibus, Apostolus obſecutus est, horumque res praeſens curare ſtuduit, et ceteras adire hujus regionis eccleſias; id est Theſſalonicenſes, Beroënſes, alias. Haec omnia opportunitatem praebebant ante ſcribendae ad Corinthios epistolae, quam ipſe eos viſitaret. Verum his accedebant ea, quae de *interna eccleſiae Corinthiacae* conditione Titus ei nunciaverat, eaque haud adeo laudanda. Laetis enim plurimis, quorum erat nuncius, tristia multa adjunxerat. Nimirum ſectae et disſidiorum ſtudia nondum penitus ſopita erant; Pſeudapostoli Pauli laborem irritum reddere conabantur; imo Apostolici muneris auctoritati ſeſe opponebant; Judaeorumque placita çum religione Christiana miscebant multi. Spem igitur fovebat Paulus, fore ut haec omnia emendarentur, ſcripta ad eos Epistola, neque adeo poenis opus fore, quas praeſens iis infligeret. Item, felicem ſucceſſum, quem apud Corinthios prior habuerat Epistola, nunc quoque exſpectabat, unde novae conſcribendae epistolae opportunitas ei orta est.

. Pauli igitur in ſcribenda Epistola *conſilium* hoc fuit, ut Corinthiorum emendaret animos et vitam, ſperans, fore ut, emendatis illis, laetus ad eos veniret. Itaque ſcribit: *Hoc meçum ſtatui, ne rurſus ad vos cum tristitia veniam.* II. 1. — Fuit autem praeterea Pauli conſilium monendi eos de eleemoſynis, quibus ſuccurrerent Christianis Hieroſolymitanis, quarum colligendarum cauſa Titus, ceterique ἀδελ-

φοὶ

φοὶ Corinthum abibant: nam ne iterum tristis (ἐν λύπῃ) ad eos veniret, in votis ei erat, ut ante paratae apud eos essent stipes, quam Corinthum cum Macedonibus proficisceretur. C. VIII. *Denique* de proximo adventu suo certiores eos reddere cupiebat. Se per Macedoniam Corinthum iter facturum antea iis promiserat. Hujus autem promissi, in quo implendo occupabatur, in itinere versans, certiores fecit Corinthiacos, scriptis hisce literis. Hoc quidem gaudio perfundebantur, et excitabantur, ut vitia, quae reprehenderat Paulus, ante, quam adveniret, emendare inciperent. Hoc igitur pacto persuadere conabatur Pseudapostolis, ut Pauli dicto audientes essent, ne praesens severius in eos animadverteret.

§. 3.

De affectibus, quibus movebatur Paulus, in conscribenda Epistola.

Si quid valeat ad Epistolam rite explicandam, est profecto animi Paulini in ea conscribenda consideratio. Hae enim literae inprimis genuinam epistolarum indolem prae se ferunt; nam auctor in iis omnes suos sensus, affectus, studia patefecit; ad quae non attendentes, alio alioque modo hasce literas explicemus, necesse est. — Cognita ergo Ecclesiae conditione, ex ipsis jam Pauli verbis, affectus observemus, quibus regebatur in scribenda Epistola.

Et

Et commotum inprimis animadvertimus Apostolum et vehementer concitatum diverſis gaudii dolorisque affectibus, ad quos ſingulatim ſpectandos nunc venio.

Pauli animus gaudio fuit commotus.

Gaudium, quo Pauli animus in ſcribendo perculſus fuit, univerſa declarat Epistola. „Huic autem ſubjecti ſunt admiratio, ſpes, alacritas, amor." (1) Variis e fontibus hic promanabat ſenſus. *Beneficia quidem divinitus in eum collata, gaudium in animo gignebant.* — Incipit jam 2 Cor. I. 3., a gaudii ſui testificatione: *εὐλογητὸς ὁ θεὸς καὶ πατὴρ τοῦ κυρίου ἡμῶν* I. X. *κ. τ. λ. Benedictus Deus ac Pater Domini nostri* J. C. In omnibus fere Epistolis a gratiarum actione initium ducit Apostolus; huic vero gratiarum actioni nonnulla inſunt, quae animi gaudio commoti indicia praebent. Quiete et ſedate in plurimis epistolis Deo gratias agit, hac adhibita formula: *ἐυχαριστῶ τῷ θεῷ*, 1 Cor. I. 4. Phil. I. 3., vel addita voce *πρῶτον*, Rom. I. 8. quae logicam cogitandi rationem, a commoto animo alienam, indicat, vel *ἐυχαριστοῦμεν*, vel *ἐυχαριστεῖν ὀφείλομεν* Coll. I. 3. 1 Theſſ. I. 2. 2 Theſſ. I. 3., vel *χάριν ἔχω* 2 Thim. I. 3.; contra vero ad Epheſios et hac in epistola utitur voce *εὐλογητὸς* (ברוך), quam uſurpare ſolet, ubi animus gaudio commotus ſumma prorumpit vi. cf. Rom. I. 25. IX. 5. —Porro in tota pericopa, ſect.

3

(1) Bauer *Rhetorica Paulina* T. I. p. 443.

3 et 4, regnat animus gaudio exſultans, in mentem revocatis beneficiis a Deo acceptis. Paulus vix habet, quibus utatur verbis, ut commoti animi ſenſus, gratiasque Deo agendas exprimat. Praemiſſo Dei nomine, addit continuo: ὁ πατὴρ τῶν οικτιρμῶν (1) καὶ θεὸς πάσης παρακλήσεως, ὁ παρακαλῶν ἡμᾶς ἐπὶ πάσῃ τῇ θλίψει ἡμῶν, εἰς τὸ δύνασθαι ἡμᾶς παρακαλεῖν, κ. τ. λ. In his omnem ſuam mentem (quod posſit) effundere conatur. In ipſis enim verbis copia cernitur. Magna h. l. est vis vocis πάσης (2): id est, nulla excepta θλίψει. Praeterea pericopa, ulterius, quam ſolet, protracta, animi motum prodit, quo mire nos alliciat. Obſervetur item repetitarum vocum παρακαλεῖν, et παρακλήσεως uſus: verborum delectus: vox περισσεύειν; (3) quae omnia Paulum jam in initio Epistolae maximopere gaviſum ostendunt.

Eundem illum laetum animi ſenſum obſervamus C. II. 14. τῷ δὲ Θεῷ χάρις, τῷ πάντοτε, κ. τ. λ. ὅτι Χριστοῦ εὐώδία ἐσμὲν τῷ Θεῷ. Hilari animo divina beneficia memorat, in annunciando Evange-

(1) Cf. Ill. DE PERPONCHER ad l. p. 3. (2) Conjecturam criticam in ſect. 4. propoſuit Doct GREEVE l. l. p 109. Ne Apostoli langueat oratio (quod in recepto textu locum habere videbatur Viro Cl.) ſcriptum putat: τοὺς ἐν θλίψει, διὰ πάσης τῆς κ. τ. λ. Quae quidem conjectura, nullis Codicibus aut verſionibus firmata, haud necesſaria videtur. Nequaquam hic Pauli languet oratio, ſed concitatus animus Pſeudapostolis perſuadere ſtudet, ſe ἐν πάσῃ τῇ θλίψει, a Deo fuisſe ſolatio perfuſum, nec ita haec mala poenae loco ſibi fuisſe irrogata, ut isti putabant. Cf. KRAUSE (J. F) in *Animadverſ. in 2 Ep. ad Corinthios*, Programmatum Acad. forma divulgari coeptis Regiom. 1815. quorum progr. 4, continens animadv. ad C III. 9. — IV. 1. ultimum hoc anno prodiit. Prospere pergat auctor! (3) Leg. KRAUSE l. l. ad. l. p. 5. et SCHLEUSNERUS in *Lexic.* ad voc.

gelio sibi oblata, suumque gaudium verbis exprimit. — Elliptica dicendi ratio, et tota contexta oratio ejus laetitiam declarat. Egerat jam de peracto suo per Macedoniam itinere; verum Macedoniae recordatus, in mentem suam revocat Dei beneficia; exsultat gaudio animus; et gratiarum formula proruit oratio: τῷ δὲ Θεῷ χάρις; quae concitatioris est animi, quam si scripsisset: χάριν ἔχω τῷ Θεῷ. Eadem fere ratione vernaculum: *Gode zij dank*, et: *ik danke God.* Hisce deinde hilaris adjungit: *nam Christi bona fragrantia sumus Deo.*

Sed ad alium venio *gaudii fontem*: *ex emendata* nimirum *Corinthiorum conditione ortum*, quae Paulo Epistolam scribenti ob oculos versabatur. Quid autem majorem laetitiae causam Apostolo praeberet! Hoc enim ipse indicat. Testis sit locus, C. VII. 7. Proposuerat turbatam animi conditionem, qua vexabatur in Macedonia. Verum mediis in tenebris affulsit lux, *qui consolatur*, ait, *abjectos*, *consolatus est nos Deus*, *adventu Titi.* Dulce ac suave Apostolo erat dilecto obviam ire Tito; at vero major ei erat laetandi causa, f. 7. *non solum adventu illius*, *sed etiam consolatione*, *quam ille accepit ex vobis*, *quum annunciaret nobis*, *cet.* Sic sane gaudia ejus ad cumulum pervenerant. Uberiorem illam laetandi caussam recenset, in eorum *desiderio*, *ejulatu*, *et zelo* pro Paulo; quae tanto eum imbuebant gaudio, ut illud silentio praeterire non possit, sed confestim laeto addat animo: ὥστε με μᾶλλον χαρῆναι, f. 7. *ut magis gavisus fuerim.* Quisque paulo sagacior in copulatis hisce verbis, quae se fere protrudunt, facile exhilaratum deprehendit animum. — Rursus

gau-

gaudium ſuum aperte declarat ſ. 9. *nunc gaudeo .... quod triſtitia affecti fueritis ad reſipiscentiam.* De ea certior factus, gaudio commovebatur animus, et, hanc ei continuo ob oculos fuiſſe laetitiam, abunde docet repetita ſaepius hoc in capite gaudii declaratio, ſ. 7. *ut magis gaviſus fuerim.* ſ. 9. *Nunc gaudeo*, ſ. 13. *longe plurimum gaviſi fuimus ob gaudium Titi*, et in fine totius pericopae, clauſulae loco additum legimus, ſ. 16, *gaudeo, quod penitus confidam de vobis.* (1) In hisce omnibus vivis coloribus Paulus animi, valde commoti, habitum depingit, atque hic loci ſententia valet: *ἐκ τοῦ περισσεύματος τῆς καρδίας τὸ ςόμα λα-*

(1) Ita enim haec ſectio legenda videtur. Codicum auctoritate cum MILLIO, et GRIESBACHIO omittenda est particula οὖν. Omittunt illam Codd DEFG 23, 57, 72. *plures. Mt. a. al.* 9. *Ed.* (*etiam Steph.* 3.) Verss. *Syr. Erp. Syr. p.* (*habet in marg.*) *Copt. Slav.* 5. *et ant. Vulg. It. Chryſ. ſemel. Theodoret. Theoph. Oec. Ambrſt. Pel. Sed. Beda.* — Addunt *St. Cod.* ιε (*Griesb.* 10.) *Ep. penes Joh. Covel* (*Gr.* 31.) et *Baſilienſis* 2. (*Gr.* 2.) 17. (notante GREEEVIO) *Edit. aliq. Arab.* et *Beza* ex vetusti Codicis fide. Addita est forte a librariis, qui logicam cogitandi rationem quaerentes, rationis concluſionem mallent, ex toto capite derivatam; ſed Paulus, animo commotus, particulam omiſiſſe videtur. — Lectio θαῤῥῶμεν ὑμῖν quae notante ERASMO nonnullis in Codicibus adest, recte BEZAE et MILLIO vitioſa videtur pro vulgata: θαῤῥῶ ἐν ὑμῖν, cum error librariorum facillimus ſit, interpoſito μ. GRIESBACHIUS eam non notavit. — Sect. 13. retinenda est cum BEZA, MILLIO et GRIESB. vulgaris lectio. Rejicienda varians παρακεκλήμεθα: ἐπὶ δὲ τῇ παρακλήσει ὑμῶν (ſ. ἡμῶν cum BCDEG 3, 17, 23, 33, *Mt. ά.* Verss. *Syr. Erp. Aeth. Arm. Vulg. It. Ambrſt. Pel.*) περισσοτέρως μᾶλλον, quam probavit Cl. GREEVE p. 74 et 115.

περισσοτέρως μᾶλλον.) Duplex comparativus, cf. Marc. V: 26. VII. 36. magis abundantius. Ita μᾶλλον comparativis et ſuperlativis otioſe jungitur, cf. SCHLEUSNER ad v., qualia apud AESCHYLUM, EURIPIDEM, ARISTOPHANEM, cet. uſitata exempla protulit GROTIUS ad l., et ex eo ROSENMULLERUS ad l.

λαλεῖ, *ex abundantia cordis os loquitur.* Nec mirum. Erat enim Paulo persuasum, amorem, quem Tito praestiterant, ex animo ortum esse. (1) Si vero hujus gaudii recordatus sit Paulus in scribenda Epistola, profecto illud eum perquam commovit.

Inprimis in omni Epistola *gaudium* observamus *et laetitiam*, ex eo ortam, *quod habeat, quibus par sit, causae suae tanto ardore et tam juste tuendae.* — Flagitabant enim adversariorum convicia, ut ea a se averteret, qua in re acriter admodum versatur. Ita autem non potuit non iis, dummodo praejudicatis opinionibus essent vacui, persuadere, se legitimam gerere auctoritatem Apostolicam. Quae quidem persuasio in conscribenda Epistola eum summo affecit gaudio. — Apostolus, Cap. III., Evangelii doctrinam defendit a Pseudapostolis, qui Oeconomiam Mosaicam Evangelio anteponebant, et Paulo calumniabantur. Attento animo egregium locum inde a Cap. III. 1. — V. 10., legentibus, variis affectibus commotus nobis apparet Apost., atque in medio doloris sensu, quem post exponam, animus cernitur, gaudio perfusus, orto illo e cogitatione, se varias illas calumnias vere avertere posse. Jam in apologiae initio laetitia adest. Quum enim alii doctores commendatias epistolas circumferentes, vi et efficacia apud illos valere studeant, Paulus laetatur, cui persuasum est, se non tali auxilio, nec defensoribus istis indigere, et triumphum de adversariis agens lae-

(1) Cf. Illustr. PERPONCHER l. l. *2de deel*, bl. 62 in nota.

laeto animo ſcribit: *vos estis Epistola nostra.* Tali victoria ab iis reportata, alacritate et gaudio commovetur, et hujus dicti argumenta in mentem revocat, ſ. 2 et 3. Quidni laetaretur Paulus, cum hoc omnibus omnino manifestum esſet, ſ. 3? Inprimis autem gaudio gestit animus cum mente ſua volvit doctrinae, quam annunciaverat, praeſtantiam; quod ſane unicuique, ſect. 4 - 12. legenti, in oculos incurrit. Ineſt enim hilaris et concitatus ſenſus repetitis continue formulis: *πῶς οὐχὶ μᾶλλον. Qui non potius ministerium Spiritus erit glorioſum?* ſ. 8. *πολλῷ μᾶλλον. multo magis ministerium justitiae abundat gloria!* ſ. 9 *πολλῷ μᾶλλον τὸ μένον, ἐν δόξῃ! multo magis id, quod manet, glorioſum!* ſ. 11. Et profecto, quicunque animos, variis affectibus agitatos, attendere ſolet, is laetitiam facile animadvertet, cum in omni hoc loco gaudii vestigia adſunt; uti C. IV. ſ. 8 et 9. verba illa: *oppresſi ſumus, at non depresſi*, cet. laetos animi ſenſus produnt.

Id autem inprimis manifestum est in posteriori Epistolae parte, ubi Paulus ſe ſuamque cauſam fortiter defendit, inde a C. X. 1. ad epistolae finem. — C. X. 7. *τὰ κατὰ πρόσωπον βλέπετε*, (1) *εἴ τις πέποιθεν ἑαυτῷ χριστοῦ εἶναι, τοῦτο λογιζέσθω πάλιν ἀφ' ἑαυτοῦ, ὅτι καθὼς αὐτος χριστοῦ, οὕτω καὶ ἡμεῖς* (2). Quae Jacobitae prae ſe ferebant, majori jure ſibi vindicare poterat Paulus. Haec ei ſummam

(1) *Jacobitas* ſignificare videtur *ἐν προτάκτῳ* jactantes cf. ſupra § 2. p. 17. (2) *χριστοῦ*) additur in recepto textu. Deest in B C D F G. 13. 31. 17. *Ed.* Verss. *Syr. utr. Erp. Copt.*

mam laetitiae causam praebebant, quae in ipsis, ni fallor, cernitur verbis. Omnis verborum ratio; earum constructio; abruptum et ellipticum dicendi genus: *ita et nos*, quod triumphantis ad instar profertur, laetum prodit animi sensum. Augetur autem illa laetitia, quando laetam de Evangelio ulterius (1) propagato, spem iis indicat s. 15: *οὐκ εἰς τὰ ἄμετρα καυχώμενοι ἐν ἀλλοτρίοις κόποις*, s. 16. *οὐκ ἐν ἀλλοτρίῳ κανόνι εἰς τὰ ἕτοιμα καυχήσασθαι.* (2) Cap. XI et XII. plena sunt gaudii documentis in iis, de quibus gloriatur Paulus. Verba illa animum ejus tam accurate depingunt, ut penitus eum noscamus, et cum laeto gaudeamus ob justam suam gloriandi causam, quod inprimis futurum puto, C. XI. 22-30. Idcirco laete recordabatur muneris sui authentiam; atque illo ex sensu explicanda sunt, quae habentur, s. 32 et 33., de liberatione ex urbe Damasci; et quae in mentem ei veniebant, quum tantus ei esset gloriandi impetus. Haec nisi admittantur, quo modo illa h. l. scribere potuerit, non constat. Ita summo imbuebatur gaudio in conscribendis iis, quae

Copt. Aeth. Arm. vulg. It. Chryst. Theodor. Theopyl. Ambrst. aliis, quapropter cum GRIESBACHIO vox omittenda est. Confirmat ejus omissionem concitatus Pauli animus. Recte ERASMO explicandae rei gratia additum videtur; forte a librariis animum auctoris haud observantibus. (1) Εἰς τὰ ὑπερέκεινα ὑμῶν). Ita recte post CHRYSOSTH. THEOPHYL. AMBROSIUM interpretatur ERASMUS: *Ulteriora vobis* i. e. *quae ultra vos sunt, longius et in aliis populis.* Est enim ὑπερέκεινα adverbium: *trans, ultra*, cf. SCHLEUSNER ad. voc. (2) Ejus nativam vim recte percepit Cl HAMELSVELD: ZONDER *dat wij behoeven te roemen over het geen in eens anderen kring gelegen, en reeds door een ander bearbeid is*, cf. *Aant. op 't N. T.* ad. l.

quae Cap. XII. leguntur, in quo tot tantaque praedicat, quibus eum beaverat Deus.

Neque minus laetitiae testis est faceta illa *Ironia*, quae in hac epistolae parte regnat. Illa nullibi utitur Paulus, nisi omnino ei persuasum sit de justa sua causa, de argumentorum genuina vi, et de adversariorum temeritate, qui tali scribendi modo optime refelluntur. Hac igitur usus, gaudio exsultat. Ironiam enim adhibenti haud dubium est, leves esse calumnias, et facile explodi posse: quippe nihil majus in nobis creat gaudium, nisi persuasio justam nos in apologiis tueri causam, et levia esse, quae proferunt adversarii. Tunc quidem ad hilaritatem excitamur. Tunc multa adversariis largiri videmur; sed vocabulo utimur, quo significetur ejus contrarium, oriturque Ironia. Ita hac in apologia Paulus saepissime egit, e. g. C. XI. 1.: *Utinam toleratis paullisper insipientiam meam, imo etiam tolerate me.* f. 16. *sin minus, ut insipientem accipite me, ut paullulum et ego glorier.* C. XII. 13. *Concedite mihi hanc injuriam.* — In his laeto perfusus erat sensu, adeo levia et ridicula esse illa, quae proferrent adversarii.

Sed insuper alia fuerunt, quibus Paulus gauderet. Ne multa afferam, reputetis *Corinthiorum, Macedonum et suorum in Evangelio annunciando sociorum conditionem*, cujus recordabatur Apostolus. Corinthii enim Pauli monitis morem gessisse videntur, accepta priori ejus Epistola; incestum enim ex ecclesiae societate expulerant, II. 5-11. VII. 11., Apostoli causam ab adversariis defenderant, VII. 7.,

quin et ejus ferebantur desiderio, VII 11., vitia sua multum jam correxisse videntur. Forte mos ille perversus epulas sacras in Deastrorum templis celebrandi, et donorum *πνευματικῶν* abusus, h. t. jam fuere emendata; cujus laeti nuncii certiorem eum fecisse videtur Titus. Quae omnia uberrimam gaudii causam Paulo praebebant. Accessit eorum alacritas ad juvandos pauperes, quam non ignorabat Paulus, C. VIII. Promtus enim Corinthiorum animus (1), VIII. 11. IX 2., Apostolo gloriandi de Achaeis apud Macedones praebebat ansam, tantamque laetandi causam, ut eam reticere non possit, verum clausulae loco addat: *χάρις δὲ τῷ Θεῷ.* IX. 15.

At gaudium in hac Epistola gaudio succedit. Conspicuum est illud iis in locis, in quibus de *coetibus Christianis*, *in Macedonia* conditis agit, inprimis C. VIII. 1. coll. VII. 16. Scripserat Apost. in fine pericopae, quae gaudio eum impleverat: *Laetor, quod penitus confidam de vobis*, VII. 16. Quibus scriptis, in mentem revocat, sibi cum Corinthiis de eleemosynis pro pauperibus Hierosolymitanis esse agendum; atque ita laetissimus in animo excitatur sensus, quum Christiani Macedones *supra vires voluntarii fuerunt;* quam liberalitatem summis evehit laudibus. Nec mirum eum hac in re celebranda laetitiae sensu fuisse perfusum. Quibus omnibus, ex Pauli indole, qui amore erga omnes Christianos s. pauperes s. divites ferebatur, ex tota contexta oratione, et ex sect. 5. *Non sicut sperabamus (fecerunt), sed semet* ip-

(1) Προθυμία, vertentibus Erasmo et Grotio, ad l.

ipſos dederunt primum Domino, (dein) nobis, novum posſit addi pondus.

Praeterea *ex collegarum conditione* gaudium percepit inſigne. Summopere enim laetabatur Paulus, quando Evangelii nuncios animadverteret, propagandae doctrinae Christianae ſtudioſos, et humanitatis officiorum exſequendorum cupidos. Talem autem esſe novit Titum, qui ſollicitudine (1) erga Corinthios ducebatur; qui *σπουδαιότερος ὑπάρχων, αὐθαίρετος ἐξῆλθε πρὸς αὐτούς*, VIII 17. (2). Tales habet ceteros ſocios, quos C. VIII. 18-22. recenſet, eorumque recordatus, ubi ſe ad ſcribendum accingit, laeto illo ſenſu adeo est perfuſus, ut antea jam ſcribat: *χάρις δὲ τῷ Θεῷ*. VIII. 16.; formula, ut ſupra vidimus, exſultandi.

Pauli animus dolore fuit commotus.

Nulla itaque habetur Epistolae pars, e qua ſummum Apostoli gaudium non eluceat. Sed alius praeterea dominatur in hac Epistola *ſenſus, doloris* puta et *tristitiae*, cui „ ſubjecti ſunt metus, pudor, contemtus, ira, et odium" (3); de quo ſenſu nunc agamus.

Prima doloris cauſa in conſcribenda epistola nata fuit *ex Corinthiorum ſchismatibus et vitiis*. — Haec quidem inprimis in priori epistola perſtrinxerat. Etiamſi vero in hisce literis Pſeudapostolos carpit, et eorum calumnias avertit, bina tamen adſunt loca, in quibus ſchismata et vitia ista recenſet.

A-

(1) σπουδὴ, vertentibus Erasm. et Grot. ad l. (2) De difficiliori hoc loco vid. infra ad §. 4 (3) Cf. Bauer *Rhet. Paul.* T. 1. p. 443.

Apostolus enim Cap. XI. 4. loquitur de τῷ ἐρχόμενῳ, ἄλλον Ἰησοῦν κηρύσσοντι; (1) significans, ut videtur, Pseudapostolum, qui nuper Corinthum advenerat, et Paulum praeoccupare volebat, sed aliam eos docuerat doctrinam. Spectat itaque schismata, inde exorta, et vitia, quae illic jamjam vigerent. Illo de doctore locutus ad Corinthios dicit: καλῶς ἀνείχεσθε. *Pulchre eum toleratis!* (2) Vidimus antea Ironiam laeti animi esse indicium: at illa varia est, gigniturque ea simul indignatio, qua commoti adversarios perstringimus. Nunquam vero reperitur istiusmodi indignatio absque animi dolore.

(1) ὁ ἐρχόμενος) Plurimi interpretes, doctrina et hermeneutico acumine insignes, quales Beza, Erasmus Schmidius, Moshem. Heuman. Hamelsveld, Perponcher, alii, vocem hanc indefinite sumunt: *si quis venit* s. *forte venturus*; *indien er iemand komt*. Verum Erasmus, (*N. T.* in *Operum* T. 6. p. 388. et *Paraphr.* T. 7. p. 674) Grotius, Greeve cum *Vulgata* definite sumunt articulum: *is, qui ex Judaea ad vos venit*, (interprete Grotio) cui lubenter assentior. (2) καλῶς ἀνείχεσθε.) Praeferenda videtur lectio ἀνείχεσθε, pro ἀνέχεσθε. Habent illam Codd. D E G, 37, 39, 46. 64, 67** 73, 80, al. 10. *Mt.* 9. alii, prob. Griesbachio. — Verum nullus facile invenitur locus, cujus explicatio tot laborat diversis interpretum sententiis; de quibus cf. Heuman. et Rosenmuller ad l. Hic praefert versionem: *Credo vos eum libenter esse suscepturos*; quam ex eo proposuit Kuttnerus *Hypomn. in N. T.* p. 337. Erasmus, Vatablus, Grotius: *Recte sane eum toleraretis*, vel *ferretis*, vel *pateremini*. Item fere Lutherus et Moshemius. — Cl. Greeve deesse putat vocem μου. Verum subintelligi vocem αὐτοῦ docet verborum cohaerentia. — Maxime mihi placet sententia Jac. Cappelli, qui haec verba ironice accipit: *pulchre (eum) toleratis*, vertente Cl Hamelsv.: *zoo verdraagt gij zulks al heel fraai*. Scilicet Paulus metuit, ne corrumpantur Corinthii, cujus rei vestigia invenire sibi videbatur in recenti doctoris cujusdam adventu, quem jamjam tolerabant Corinthii. Hanc interpretationem contexta oratio suadere videtur, cf. s. 19-20. et Marc. VII. 9. γὰρ) s. 5. *sed*, *autem*, *vero*, coll. Rom. IV. 13-15. V. 7. IX. 6. Marc. XII. 36.

re. (1) Indignabatur itaque P. quod talem tolerarent doctorem, et ironica dictione suam indignationem egregie declarat. Nec mirandum adeo indignari Apostolum, omnem qui navaverat operam, ut Corinthios veram edoceret Evangelii doctrinam. Vix autem recens advenerat doctor, aliam proponens doctrinam, quin tolerarent istum Corinthii, prouti Paulum ferebant. Hancce porro tristitiam testatam facit indignantis illa formula, f. 5.

Sed alium habemus locum, XII. 20.: *Metuo enim*, ait, *ne forte, quum venero, non quales velim, reperiam vos .... ne forte sint lites, aemulationes, irae, contentiones, obtrectationes*, cet. *ne iterum, ubi venero, me deprimat Deus.* Adest causa doloris in litibus, dissidiis et sectarum studiis. Nec mirum! Erat enim Apostolus pacis studiosus, et Corinthiorum salutis cupidissimus. Ea propter moerore afficiebatur: atque hoc eo magis, quod sibi ita videretur ταπεινωθεὶς a Deo; et quia hoc dolebat, repente ingrato argumento finem facit, ut solent, qui ingratos sensus a se avertere cupiant.

Inprimis autem dolore commovebatur et tristitia *ob calumniam, qua Corinthi eum petebant Pseudapostoli;* in qua quidem causa insignis Epistolae pars versatur. Hujus autem rei vis ut percipiatur, cogites, qualis Paulus apud Corinthios fuerit: ejusque diligentiam, studium et zelum pro coetu Corinthiaco animadvertas, in mittendis nunciis, in colloquio cum coetus legatis, in conscribendis Epis-

(1) Cf. Ernesti *Initia doctr. solidioris*, P. I. S. III. C. II. §. 329 sqq. p. 126.

Epistolis, in curis ac laboribus in eorum gratiam ſusceptis, in precibus coram Deo ſuſis. Quid plura! puros eos Deo proponere ſtuduerat, XI. 3. Vel ſic tamen in ejusmodi coetu calumniam avertere debebat. Profecto haec omnia non poterant non vehementer Apostoli animum turbare, et indignationis ſenſu eum perſtringere. Quum autem Apostolus per omnem fere Epistolam, exceptis Capp. VIII et IX., in eadem hac cauſa verſetur, ſponte patet, ingratum hunc animi ſenſum per omnem regnare epistolam, et Paulum ubique vexavisſe.

Verum audiamus ipſum. Recordabatur calumniae, I. 17. — II. 3., qua temeritatis et vanitatis accuſabatur. Apostolus antea ſeſe venturum fore affirmaverat, ſed nondum venerat. Hancce igitur cauſam arripiebant falſi doctores, jactantes Doctorem, qui in promisſis factisque ſuis inconſtanter ageret, itidem in doctrina varium futurum. Quae quidem Paulo, Christum ſemper eodem modo annuntianti, perquam ingrata esſe debebant, ſtomachumque ei movere. Taedio itaque, et tristitia plenus, haec omnia refutat: id quod ipſa verba indicant. Leviter primum eos hoc in loco reprehendit, ſed dein ſenſim ſenſimque magis commovetur, cujus rei indicia ſunt, quae leguntur Cap. I. 23.: *Ego vero testem Deum invoco* ἐπὶ τὴν ἐμὴν ψυχήν. (1) For-

(1) ἐπὶ) ſ. *de: testis de animo meo*. Cf. 2 Cor. II. 3. Marc. IX. 12. ſ. *contra*, *adverſus*, *in*. Ita BEZA: *in animam meam*, i. e., *contra*, *vitae meae periculo*, et GROTIUS: *cum maximo meo malo*, *ſi fallo*. Prius eligendum videtur. Recte autem annotavit KRAUSE. (Progr. II. l. p. 6.) Paulum nequaquam ad novum transire argumentum, quae ROSENMULLERI est ſententia, ſed in refellendo pergere.

Forte eadem illa gravis ſimul et acerba oratio obtinet in C. II. 1.,quae arctisſime cum I. 24. jungi debet, et in qua magna est vocis *τοῦτο* vis. Haud ſemel eadem ratio in ſequentibus obtinet; ſed, ne nimis prolixa fiat disputatio, ea mitto, et ad posteriorem Epistolae partem, Cap. X. ſqq. accedo. Doctrinae et inſtitutionis Paulinae vim et efficaciam omni ratione debilitare ſtudebant Pſeudapostoli, quorum calumniam acriter avertit. Dicebant isti *Epistolas quidem esſe graves et validas, ſed praeſentiam corporis infirmam, et ſermonem nihili.* Cujus injuriae refellendae necesſitatem Paulo ingratum movisſe in animo ſenſum, dubium non est. Quapropter graviter ait et indignatus: *Hoc cogitet istiusmodi (homo)... non enim audemus nos inſerere aut conferre.* cet. Quin et in toto hoc loco concitati animi indicium praebet ipſa oratio. Atque eodem impetu hisce finem imponit, et quaſi dixisſe videtur: *ſed ſatis de his, ceteroquin qui gloriatur, in Deo glorietur.* X. 17. (1) Dolor autem, quem ex eorum vitiis Paulus perceperat, eo fuit adauctus, quod illis Pauli auctoritas Corinthi imminueretur: id manifestat aperte XI. 5.: *Puto enim me nihil inferiorem fuisſe τοῖς ὑπερλίαν ἀποςόλοις*; iis, quos vos eximios habetis, Apostolis. (2) Haec ſane ſunt doloris et irae effata, quippe Pſeudapostoli omnia Pauli dicta et facta in malam vertebant

(1) 'δὲ) *ceterum*, *ceteroquin*, cf. 1 Cor. VII. 1. XII. 1. XV. 1. Ita verterunt e veteribus Beza; e recentioribus Hamelsv. alii: *Voorts.* Minus recte nostrates habent: *Doch.*
(2) Jacobum vel Petrum ſpectari ſupra vidimus §. 1.

bant partem; et in eo, quod gratuito Evangelium iis annunciaverat, quod alias ſpoliaverat (1) Eccleſias, accepto ſtipendio, ut Corinthiis inſerviret, Apostoli arguendi et parvi faciendi cauſam invenire ſibi videbantur. Hanc quidem accuſationem h. l. refellit Apostolus: at ita refellit, ut valde dolere videatur. Quaerit autem: *quapropter illud feci?* ſ. 11, coll. ſ. 7 et 8. Suspicio vero forſitan ſuborta, num diligat eos, ſummo dolore ejus animum afficit, et ante, quam huic quaestioni respondet, tristis ait: ſ. 12. *ὁ Θεὸς οἶδεν. Deus novit.* Dein recordatur ſummae eorum perverſitatis, ſ. 13, ſqq.; et imago, a Satana deſumta, concitatae mentis est indicium.

Nec minus ingrato animi ſenſu perfuſus, Cap. XII. cauſam ſuam ab adverſantibus tuetur. Amore, quo Corinthios erat proſecutus, plenus, illorum erga ſe ſtudium langueſcere videbat, quam ob rem ſe illis opponit, addens: *etiamſi, abunde vos diligens, minus diligar.* (2) Quin in tota Cap. XIII. ſevera illa adest dictio, quae fortiter illum ac ſtudioſe tantam hanc rem tractare oſtendit, quaeque mentem pingit dolore aegerrimam, ſ. 2, 3, 6 ſqq., et gravibus additis minis

(1) Vocem hanc ἐσύλησα dictionis fervorem indicare, obſervavit Ven HASELAAR. *Diſſ. Exeget. de nonnullis Actuum Apost et Epist. Paul. ad historiam Pauli pertinentibus locis*, Lugd. 1806 p. 100 qui omnino hic loci conſulendus est. (2) εἰ καὶ) *ſi etiam, quando etiam, etiamſi* cf. Hebr. VI. 9. Phil. II. 17. ἀγαπῶμαι) In indicativo ſumitur a GROTIO, LUTHERO, MOSHEM. HAMELSV. VLOTEN, PERPONCH. Conjunctive vero explicant ERASMUS, BEZA, HEUMAN. p. 438. ZACHARIA (*in Paraphr.* p. 236.) GREEVE, alii Quae ſane explicatio contexta oratione comprobatur; verum quocunque modo accipias, indignationis indicia haud dubie ei inſunt.

nis, quas Apostoli auctoritate eloquitur, huic apologiae satis diu, ut videbatur, protractae, finem imponit.

Denique ingrato et acerbo sensu in scribendo afficiebatur, *ob necessitatem gloriandi sibi impositam*, uti epistolae argumentum ubique indicat. Et quis quaeso illud in Paulo miretur, modesto illo, nec vanae gloriae cupido: quippe qui omnia Deo tribuit, pristinamque vitae consuetudinem, Christianis sacris adversam, continue memorat? Illa igitur gloriandi necessitas ei taedium movebat, teste tota hujus Ep. cohaerentia. Nec est quod illud ubique fere digito quasi commonstrem. — Cap. IV. 1. „Paulus se opponit iis Religionis Christianae doctoribus, qui Judaeorum arrogantiam foverent, et quo plures Christianis sacris conciliarent fautores, Mosaicae constitutioni majus, quam par esset, pretium statuerent." (1) Ita coactus, ut suam agendi rationem et doctrinam contra hosce tueretur: *non segnescimus*, ait, *sed abdicavimus dedecoris tegumenta, non incedentes cum calliditate.. sed declaratione veritatis commendantes nos ipsos apud omnem conscientiam hominum, in conspectu Dei*, et dein f. 6. *Deus... splenduit in cordibus nostris.* Quibus scriptis, ut jactationis speciem a se avertat, addit: *habemus autem huncce thesaurum in testaceis vasculis*, ut Dei Christique celebretur gloria. In quibus observare licet, quam ingratum et dolentis animi sensum ista gloriatio in Apostoli men-

(1) Sunt verba Doct. KRAUSE *Progr.* IV. l. p. 11, 12.

mente moverit. Quod idem obtinere in C. VI. 3. et Cap. X. pasſim, non est, quod moneam. Idem ſcripſerat vir Divus in fine Cap. II.: *Non ſumus, ut plerique, cauponantes verbum Dei, ſed ut e ſinceritate, ſed ut ex Deo, in conſpectu Dei, de Christo loquimur.* Haec autem de ſe praedicantis, ingrate ejus afficitur animus, et rogat continuo: C. III. 1.: *Incipimusne rurſus nos ipſos commendare* (1)?

Univerſe (ne longior ſim) tristis ille ſenſus apparet in omnibus iis locis, in quibus Paulus illas orationi immiscet quaestiones, quae docent, eum omnino gloriationis hujus vim ſentire, ſimulque dolere, hanc ſibi impoſitam esſe gloriandi necesſitatem. Ita C. V. 12. coll. ſ. 13. Ita et C. XI. 30. ſcribit: *εἰ καυχᾶσθαι δεῖ*, i. e. ſi conditio mea, me invito, flagitet, ut glorier. Quin et verba: *de iis quae infirmitatis meae ſunt, gloriabor*, probant eum gloriandi anſam non arripuisſe, verum invitum eo devenisſe. Ita in ſqq. ſ. 31. cet. et C. XII. 1. in formula, ſimili fere ceteris, quas recenſui: *Gloriari ſane* (2) *non expedit mihi.* Quibus addantur C. XII. 9. et ſ. 19. alia. Etſi fateor, haec omnia forte eo valere, quo Corinthiorum ſibi captet benevolentiam: tamen eam benevolentiae q. d. captationem haud adhibuisſet Apostolus, ſi ultro laudes ſuas retulisſet. Praeterea (quod inprimis urgeri ve-

(1) Res eodem redit, ſi pro recepta: *εἰ μὴ*, cum GRIESBACHIO legas: *ἢ μὴ*. Librarii, notante MILLIO, pasſim confundunt *εἰ* et *ἢ*. (2) *δὴ*. *ſane.*) Cum MILLIO et GRIESBACHIO videtur retinendum. Alii Cod. legunt *δεῖ*, quod interrogative ſumunt interpretes. *μοι*) Nonnulli *μὲν*, ſed auctoritate ſatis firma deſtituti.

velim) ſemel iterumve non occurrit ea formula, verum continua illa harum formularum repetitio (quae, niſi gravisſima adſit cauſa, inanis est et languida) Pauli depingit animum, qui, quoties gloriari debet, ingrato et tristi ſenſu vexetur.

Obſervationes de hisce affectibus recte dijudicandis.

Varii hi, quos obſervavimus, affectus, quorum ſinguli e pluribus fontibus videbantur orti, non poterant non vehementer Apostoli turbare animum. Sed quis forte quaerat: unde hi ſibi oppoſiti affectus tam arcte in hac Epistola copulantur? Liceat igitur has addere animadverſiones.

Primam ejus cauſam *in multiplici Epistolae argumento* invenire mihi videor. Unam eandemque rem ſi nude ſpectamus, eodem fere modo afficimur. Quando vero ab eodem ſcriptore plures tractantur res, quarum diverſa prorſus est natura, quaeque diverſe in animum operantur, diverſi quoque naſcuntur ſenſus. Atque ſic multiplex Epistolae argumentum multiplices gignit in animo affectiones, quarum diverſarum concurſus vehementer eum commovebat. Haec exemplo adſtruere liceat. Emendatam Corinthiorum conditionem cogitans, gaudio et hilari ſenſu repletur; ſed ſimul nonnullorum reputat astutiam et fallaciam, qui emendatos hosce a recta ſemita avocare cuperent, et animi dolor cum gaudio conjungatur, necesſe est. — Religionis Christianae prae Moſaica inſtitutione praeſtantiam reputans, intus animo gaudet

det de munere sibi in religione annuncianda mandato; verum sacrorum depravationem animadvertens, valde contristatur, homines Dei beneficia irrita reddere conatos fuisse; et sic de ceteris.

Alia autem causa e *varia Corinthiaci coetus conditione* repetenda videtur. Namque data fuit haec Epistola non tantum ad eos inter Christianos, qui Paulum tali prosequebantur amore, qualem ab ipso jam erant experti; nec tantum Ecclesiae Senioribus et Diaconis, sed toti *Ecclesiae Dei*, *quae erat Corinthi*, *una cum sanctis omnibus in tota Achaja.* I. 1. Hos autem disparibus studiis agitatos vidimus. Omnes vero diversae conditionis et indolis homines hortari, increpare, admonere, laudare, excitare studebat Apostolus, et pro varia increpantis, laudantis, aut suadentis, quam gerebat, persona, aliis agitabatur affectibus.

Neve regerat quis: Pauli animum occupent illi, sed quid eos adeo in epistola expressit? At *Epistolarum* attendas velim *indolem.* In recensendis enim scriptis, eorum indoles inprimis ante oculos habeatur, oportet. Obtinet enim illa alia ratione in carmine, historica relatione, philosophica disputatione, alia in aliis. Inprimis autem in epistolis proprius ac privus regnat character. In nullo quidem scripto auctoris studia, sensus, affectus, omnisque effigies tam prope apparet vereque proponitur, quam in epistolis. In iis profecto pater agit cum filiis, magister cum discipulis, amicus cum amicis. Fac vero Paulum dissertationem scribere voluisse, qua vitiorum, etiamnum inter eos grassantium, perversitatem exponeret, eorumque emen-

mendandorum necesſitatem inculcaret, qua muneris ſui Apostolici dignitatem tueretur; haec omnia cum alia ratione inſtituturum fuisſe dubites? Fortasſe majorem ſcribendi gravitatem uſurpasſet, nec ſuavem illam et amicam hortandi, admonendi, quin et increpandi, rationem ſecutus esſet; nam haec demum ſunt epistolarum. — Praeterea, uti varia ſunt epistolarum genera, ita in apologetico et hortatorio genere, (quorſum haec referenda est) affectibus amplior, quam in ceteris, conceditur locus.

Cum vero haec univerſe in epistolis valeant, inprimis locum habent in *Pauli Epistolis*. Hic, ſi quis alius, nativa vi in iis commendatur, ſuumque animum ingenue explicat. Quod inprimis in hac ad Corinth. Epistola, ob ejus argumentum factum esſe, non est quod ego moneam. Hinc autem explicandum, quod varios hosce doloris gaudiique ſenſus, continue inter ſe permixtos in hac Epistola invenias; neque orationem, partibus ſuis abſolutam et Rhetoricis praeceptis conformatam legas. Haec enim abhorrent a Pauli ratione, qui Epistolam, non arte, ſed natura, duce, conſcripſit, quae ubique animum commotum, et varie affectum, indicat, quaeque grata quadam negligentia placet.

Et hinc ad Epistolam recte explicandam, quanta ſit *harum obſervationum vis*, ſponte patet. In illa autem ratio habeatur Corinth. coetus, ejusque conditionis; inprimis vero, Paulum in ea conſcribenda valde fuisſe commotum, verſetur animo. Hinc ſane explicari debent verborum vis, formularum diſpoſitio, idearum copulatio, argumentorum ordo, quin toti-

tius Epistolae nexus et cohaerentia, ut ejus interpretatio vera ſit et justa.

§. 4.

De Epistolae forma et argumento.

Obſervatis affectibus, quibus in ſcribendo commovebatur Apostolus, Epistolae formam et argumentum, quod potero, exponam.

Ad *formam* autem quod attinet: alteram ad Cor. Epistolam integram ſemper habuit Christiana ſocietas, habetque etiamnunc. Recentiori vero tempore de ejus forma variae ſunt prolatae ſententiae, quae inprimis hic loci inquirendae ſunt. Maxime autem Semleri, Weberi, Greevii et Vlotenii, V. V. D. D. conjecturae in cenſum hic veniunt. Ubi vero a tantis ego viris diſcedam, benevoli faveant lectores.

Semlerus quidem antea jam ſuſpicatus erat, „ Caput XVI, (Semleri verbis utor,) quod adhaeret Epistolae ad Romanos, plane non pertinere ad Romanos, quia occupat homines Aſiaticos et Transmarinos, verum Appendicem eſſe habendum, illudque ſubjungendum hujus Epistolae capiti VIII., quo Epistolae finem imponeret." (1) Hanc vero hypotheſin docte et ſubtiliter jam refutavit Summus Koppius (2), quapropter eam miſſam facio. —

A-

(1) Cf. J. S. SEMLER. *Paraphr. Ep. ad Romanos*, ad calcem in *diſſ. de duplice Appendice hujus Ep.* C. XV et XVI. p. 277. (2) J. B. KOPPE *N. T. Graece.* Vol. IV. *ad Romanos*, in Excurſu II. *De conſilio Capit.* 15 *et* 16. *ſententia*

Alia vero conjecit Vir Sagacissimus de hujus Ep. C. IX. Nimirum „ forte istud C. IX. fuisse schedulam sejunctam, quam alii, qui in alias Achajae urbes jam proficiscerentur, non Corinthum, acceperint a Paulo, ut traderent statoribus Ecclesiarum; eam postea recte adjunxisse Corinthios huic Epistolae, isto loco, quo Paulus de eadem re egerat"; (1) „ quia servari hanc partem erat omnino operae pretium, postquam in hac aut illa urbe Achajae fuerat lecta a statoribus Ecclesiae." Cujus conjecturae hanc tradit caussam: „ res agitur eadem; (scilicet ac in C. VIII.) ut fere tantum phrases differant; itaque mirum omnino videri possit in eadem Epistola idem argumentum fere repeti" (2).

Semlero lubenter concedimus, religionem hoc decreto non inniti: omnes Pauli Epistolas uno tenore atque ordine inde ab initio totas fuisse perscriptas. Certiora sunt, quibus innititur Religio, argumenta. Verum enimvero nisi graves nobis persuadeant caussae rationesque, nostrum non est earum ordinem invertere; et hae quidem caussae Semleri hypothesi deësse videntur. In eadem re versatur Paulus C. VIII et IX., verum C. IX. eam ulterius tractat, aliisque adstruit argumentis, de quibus C. VIII. egerat. Nec in hisce logici ordinis ratio habetur: commotus enim in scribendo Paulus fuit, nec antea reputavit, quae chartae mandaret, neque ea

tia Semleri enarratur et dijudicatur. p. 375 sqq. et Gabler in *Diss. Crit.* l. *de Capp. IX — XIII. posterioris P. Ep. ad Cor. ab eadem haud separandis*, Gott. 1782. p. 6.

(1) Semler. *Paraphr. 2. Epist. ad Corinthios* p. 16. in praef. (2) Semler. l. l. p. 238. Not. 264.

ea certis terminis adſtrinxit. Contra conſcripſit epiſtolam, animo commoto, ac fluminis inſtar procurrit oratio, et argumenta argumentis adduntur, pro varia, qua ſeſe menti objiciant, ratione. Paulum ergo cogitemus hanc Epistolae partem, hoc fere modo conſcribentem, Cap. VIII.: Corinthiacos Christianos excitat ad ſustentandos Religionis ſocios, in Judaea degentes, atque hic varia adfert argumenta. Et primum quidem ſ. 1-5. ſuaviter enarrat copioſam Macedonum benignitatem (1), ut ad laudabile illorum exemplum imitandum ipſi excitentur Corinthii. His autem fortisſima addit incitamenta, cujusmodi ſunt: laudanda plurium conditio, ſ. 7-10.; ſummum Christi exemplum, ſ. 9.; perſuaſio dona, non ſuo pretio, ſed ex dantis animo, aestimanda esſe, ſ. 12.; fraterna inter eos caritas, ſ. 13-15.; majorum ſuorum exemplum, ſ. 15. At in ipſis his argumentis ſecum invicem cumulandis, quin et inter ſe miscendis, Paulum videmus, animo duce, pro apta ratione verſantem. Quomagis enim ad liberalitatem pronos ſe praeſtarent, quaedam de alacritate Titi, ejusque ſociorum adjungit, hos illis commendans, ut *ederent in eos demonſtrationem caritatis eorum et gloriationis Pauli de illis, in conſpectu Eccleſiarum*, et addit continuo: *nam de ſubminiſtratione (quae fit) in ſanctos, ut ad vos ſcribam, ſupervacaneum est. Novi enim promtum animum vestrum.* Loquitur ita per praeteritionem, quam dicunt Rhetorici, et revera est captatio benevolentiae, Paulo familiaris, cf. 1 Theſſ.

V.

(1) τὸν πλοῦτον τῆς ἁπλότητος, vertente Beza.

V. 1. Sed C. VIII. 24. de hac ſua καυχήσει agens, nonnulla ei in mentem veniunt de fratribus, quos miſerat, et de Macedonibus, quos ſecum Corinthum ducturus erat, quomagis eos incitaret. Prudenter itaque, animadvertente Beza (1), occurrit ſuſpicioni, quam concipere poterant Corinthii, quaſi Apostolus adeo illos urgens, de eorum voluntate dubitaret; verum ſtimulos modo addit, quibus incitentur, ut alacres pergerent. Atqui ita arctisſime conjungenda C. VIII. ſ. 24. cum IX. 1., quod, recepta capitum verſuumque distributione, ſaepius negligitur. Sic autem ultro ducitur, ut ad rem accommodate haec omnia ſcribat, quod in Epistolis fieri ſolet.

Neque Semlero concedendum est, eadem, quae adduxerat antea, repeti Cap. IX. ſ. 1-5. Nam Capite VIII. eos monet, ne turpitudinis *ſibi* contrahant maculam, ſ. 7, 8, 10. et interponit: *hoc enim* VOBIS *conducit.* ſ. 10. Nono vero Capite ab *iis* haud petit argumenta, cum laetam jam de ipſis foveret ſpem; ſed id agit, ut ne frustra *ipſe* de iis apud Macedones gloriatus esſet; et a ſe ipſe argumenta petit, quo major monitis vis esſet et efficacia. Ita nimirum addit, C. IX. 4. *ne pudefiamus nos*, ἵνα μὴ λέγωμεν ὑμεῖς, *ne dicam vos* (2); id est eos, de quibus antea jam erat locutus. Capite autem VIII. collegarum ſtudia laudaverat. In C. IX. vero de eorum munere apud Corinthios agit, de quo ut recte judicarent, magni ſane momenti erat, ut

(1) Cf. BEZA in *Not. marg.* ad l. (2) Cf. GABLER. in *Diſſ.* l. p. 26. et pasſim. p. 30, 31.

ut bene ſuo fungerentur officio (1). Ut ſolemus in Epistolis, ita Paulus hoc in loco, aliis alia addit, quae non tam repetuntur, quam dictis novam addunt vim; neque adeo Corinthios admonent, ſed fortius incitant; quibusque eos non data opera impellit, ſed quorum vis iis ſtimulo esſe deberet. Ita repetuntur incitamenta ex justo honoris ſtudio, ſ. 5 et 6, ex animi impulſu ſ. 7 ſqq., monetque eos de liberalitatis fructibus, et Dei gloria, ita provehenda, ſ. 13 ſqq. Cum vero nullum ei ſuperesſet dubium de benevolo et promto eorum animo, propter hanc ipſam eorum conditionem, Deo gratias refert, et ſcribit: χάρις τῷ Θεῷ, ſ. 15. (2) Hac igitur ratione verborum cohaerentia luculenter apparet.

Quae autem C. IX. 2. habentur de Achaja, nullomodo ad probandam Semleri ſententiam valent; ſcilicet: hanc ſchedulam ceteris Achaeis, non Corinthiis, fuisſe deſtinatam. Paulus enim h. l. Achaeos Macedonibus opponit, quae Graeciae distributio conſueta erat id temporis (3); quin ex Epistolae initio patet, totam hanc Epistolam non ad ſolos Corinthios, ſed ad omnes Achaeos Christianos, fuisſe datam. Nam ſi haec ſchedula Achaeis fuerat destinata, hi bis eandem legisſent adhortationem (4). — Annotavit praeterea Semlerus (quocum conſentit Gablerus) (5) formulam περὶ μὲν γὰρ novam indicare orationem, uti in priori epistola obtinet; at hoc frustra dici vide-

(1) Cf. l. l. p. 32. (2) Cf. Mosheim l. l. D. 2. p. 547. (3) Vid. ſupra pag. 2. (4) Gabler. l. l. p. 10. (5) Cf. l. l. p. 2 et 30.

detur. Laudatis enim a Gablero locis, C. VII. 1. VIII. 1. XII. 1., Paulus incipit a formula περὶ δὲ, longe diverſa a περὶ μὲν γὰρ. Inſuper iis in locis nexus deest, quem hic reperimus: *hosce collegas vobis commendo; nam quod de ipſis donis vobis cum agam, ſupervacaneum foret.* Dein illa prioris Epistolae capita non fuerunt ſeparatae ſchedulae, ut hic loci esſe Semleri fert ſententia, ſed initia novi argumenti, in una eademque Epistola. Denique nativa ſcribendi ratio; particula γὰρ; commemoratio ἀδελφῶν, IX. 3., de quibus quidem verba fecerat C. VIII., ſed qui Achaeis haud innotuisſent, ſi hocce caput ſeparata fuisſet ſchedula; tandem compellatio Macedonum, de quibus ſcripſerat C. VIII. 14., aperte, ni fallor, indicant orationem, quam C. VIII. inceperat, C. IX. continuari.

Aliam porro conjecturam, huic ſimillimam, propoſuit Vir Doct. de C. XII. ſ. 14. —XIII. ſ. 13., contendens, hisce contineri ſchedulam, misſam post ipſam Epistolam (1) Putat enim Paulum a Tito certiorem fuisſe factum de calumnia, quod Corinthios ſpoliaverat, atque ſic Paulum istam ſchedulam ſ. appendicem Epistolae addidisſe. Et „parum, inquit, abest, quin putemus a Cap. X. pergere aliam ſchedulam, a Paulo postea ad Corinthios misſam, cum didicisſet, ex novis Titi aut aliis literis, quo in loco res jam Corinthi esſet; quantumque auctoritatis quidam Judaizantes ſibi hic ſumerent." (2) Est ſane ingenioſa conjectura, at mi-

(1) De his nonnulla monuit Gabler l.l. p. 34. (2) Cf. Semler. l. l. in praef. (p. 18.) et p. 310, 313 cet.

minime probabilis, neque, ut videtur, necesſaria. Hujus hypotheſeos cauſam tradit, quod „ista accuſatio, quaſi Corinthios Paulus expilasſet, locum non habet in eadem Epiſtola, quae ſtudioſisſime Corinthiis proponit, quod inde ab anni ſpatio promiſerint, nihil autem adhuc paratum ſit", et quod „ista pars non cohaereat cum rebus et laudibus, quas P. antea tam luculenter expoſuerat" (1). — In hisce vero refutandis diu non commorabor, quia de Corinthiaci coetus conditione, et de Pauli in ſcribendo animo, ſatis ſuperque jam dixi. Emendata jam erant, (ut verbo dicam) multa inter Corinthios, ob quae merito laudibus eos cumulat. At vero Pſeudapostoli Pauli doctrinam explodere conabantur, eumque calumnia afficiebant. Quae cum resciviſſet Apoſtolus, valde commoto animo, de hisce eos monet. Quae ſi reputemus, cuncta nobis cohaerere videbuntur, et calumniam Pſeudapostolorum, quod eos expilasſet Paulus, facile distinguemus a liberalitatis adhortatione: ac Semleri evanescent difficultates. Inprimis autem obſervetur, C. XII. 12. novam proponi cauſam, qua *καύχησιν* ſuam tuetur, ſimulque acriter et ironice eorum perſtringit vitia, quo in loco animi affectionem indicat illud *ἰδοὺ*, XII. 14.

Haec de Semlero ſufficiant. Venio jam ad alios. Magis a probabilitate aliena videtur *Weberi* conjectura (2), qui Paulum quinque Epistolas ad Corin-

rin-

(1) Cf. Semler l. l. in *praef.* l. — De aliis aliorum hypotheſibus, v. c. Apostolum duo ejusdem Epistolae exempla deſcribenda curasſe, aliisque cf. Gabler. l l. p. 11, qui eas docte refutavit. (2) Cf. Weberi *Progr. III. de numero Epistolarum ad Corinthios rectius conſtituendo* 1798; quae

rinthios ſcripſiſſe ſtatuit, unam deperditam, quatuor ſuperſtites. Secundam itaque Pauli Epistolam esſe putat 1 ad Corinth., tertiam legere ſibi viſus est in 2 Cor. I-IX. et XIII. 11-13., quartam conſtituit Epistolam ad Hebraeos, quintam denique 2 Cor. X-XIII. 10. — De prima et ſecunda nulla nobis cum Webero lis est; de quarta agi ſolet in Introitu in illam Epistolam; de tertia vero et quinta hic disputandi locus est. Asſentior quidem Doct. Webero orationem haud adeo interruptam esſe, ſi forſitan Paulus C. IX. ſectioni 15. addiderit XIII. 11., quae quodammodo cohaereant. Verum eadem haec clauſula toti Epistolae finem recte imponit; neque ulla est hujus conjecturae necesſitas; dummodo, ut a me ante factum est, rem ſumas. In priori quippe et posteriori hujus Epistolae parte idem, iisdemque fere affectibus commotus, auctor cernitur; qui Corinthios laudat de egregiis multis, quae inter eos obtinerent; qui dignitatem et doctrinam ſuam tuetur, et oblique eos carpit; qui iis ſtimulum addit ad liberalitatem exercendam; et qui (in quo ſapientiam et prudentiam ejus admiremur,) in fine demum Epistolae, conciliata ſibi eorum benevolentia, acriter et ſaepe ironice eos reprehendit, monetque, quo irrita reddatur aliorum calumnia. — Porro haecce conjectura, haud necesſaria, ut videtur, nullis, quod ſciam, firmatur Codicibus, Verſionibus aut Patrum testimoniis. Et quid tandem cauſae esſet, quamobrem Paulus in tota Epiſto-

quae Programmata inſpicere mihi non licuit. De primo egit Gabler. *Neues Theol. Journ.* XII. B. 4 St. ſ. 405-410.

ftola uno eodemque femper animi fenfu regi deberet? Quodfi vero eo inductus fit Weberus, quia Pauli nomen, C. X. 1., est additum, obfervari velim, illud hic loci animi commoti esfe fignum, ubi de perverfa eorum de fe opinione iterum agere inftitueret. Particula vero δὲ (αὐτὸς δὲ) indicare videtur Paulum eadem fcribendi ferie aliam, ac innovatam, inchoare orationem, cf. 1 Cor. VII. 1. XII. 1. cet., idcirco bene docuit Cl. Greevius fectionem primam manifesto connexam esfe cum praecedentibus (1).

Hisce itaque fententiis asfenfus non fuit Cl. *Greevius*, verum alias adfert conjecturas; fed eas nec probabiles, neque adeo necesfarias. — Et primum quidem Viro Doct. mirum videbatur, (2) Paulum, qui C. VIII. jam de eleemofynis egerat, eas iterum C. IX. Corinthiis commendasfe, quod alienum dicit a Pauli fcribendi genere, et a brevitate, qua ejus dictio fefe commendat. Deinde autem, C. X. fqq., Pauli animus ei videbatur aliis agitatus affectibus, quam in prioribus IX. Capitibus ostenderat, et Paulum habet vehementer nunc Corinthios increpantem, quos antea fummopere laudaverat; quin ex C. VIII. 16, 17, efficit, Paulum invitasfe Titum, ut Corinthum adiret et illic ftipes colligeret, coll. VII. 13-15. At vero VIII. 16. legere fibi videbatur, Titum jam Corinthum petiisfe, et fcriptis iis, quae C. XII. 18. habentur, Corinthi jam affuisfe; quamobrem prorfus inepta fuisfet illa fectio,

(1) Cf. Greeve l. l. p. 2. (2) Cf. l. l. in praef.

ctio, si Titus Epistolam Corinthiis traderet. Denique censebat, ultimam partem paullo ante conscriptam esse, quam Paulus Corinthum peteret (cujus consilii in priori parte documenta desunt); quin et se tertium ad eos venire indicabat, de quo nil refert. I. 15. II. 1. Propterea putabat, posteriora Epistolae capita diu post priora fuisse conscripta. Ad singula paucis respondebo.

1. Supra vidimus, Cap. VIII et IX., orationis seriem continuari, non innovari, quapropter hic ea non repetam. Quod vero Greevius dicit, haec abhorrere a brevitate, qua Pauli dictio sese commendat, non constat: nam aliis argumentis alia addit, quod haud adeo mirandum videtur. In Corinthiis enim ad liberalitatem excitandis haud minima conscribendae Epist. erat causa. Hoc quidem obiter tractare non debebat, sed nativa ratione omnia disponit.

2. Quae §. 3. disserui, abunde docent, permixtos animi sensus per omnem apparere Epistolam; non ita quidem, uti refert Vir. Doct., ut in priori Epistolae parte amicos, in posteriori adversarios spectaverit; verum alia prorsus ratione. Neque adeo mutatus dicendus est Apost. animus. Quaero enim: num continuas illas apologias, in priori Epistolae parte obvias, et ingratam sibi gloriationem, eo protulisset consilio, ut laudibus eos cumularet? Hoc sane non crediderim. In tota quidem Epistola eos emendare studebat; idque hortando et suadendo, increpando et sese tuendo, varia ratione pro variis animi affectibus, quod posset, efficere. — Si vero Greevius statuat, Apostolum in priori parte Corinthios magis laudibus

 ex-

extollere, in posteriori increpare, lubenter id ei concedo. Verum hoc ob Corinth. coetus conditionem aliter fieri non poterat. Quid autem vetat, quominus Apostolus in eadem Epist. eos laudaverit de laudandis, contra de vituperandis vituperaverit. Illud modo nego, haec inconſtantis variique esſe animi.

3. Quae porro dubia movit Vir. Erud. ex binorum locorum interpretatione derivantur, C. VIII. 17., et XII. 10. Priorem locum: Ὅτι τὴν μὲν παράκλησιν ἐδέξατο· σπουδαιότερος δὲ ὑπάρχων, αὐθαίρετος ἐξῆλθε πρὸς ὑμᾶς, vertit Greevius: *Daar hij het verzoek wel verkregen heeft, maar meer ijver hebbende van zelve is op weg gegaan* (1) quapropter in Paraphrastica verſione, ſ. 20. addit: *Deze thans ten uwent.* Verum melius et ad verborum cohaerentiam convenientius locum vertere posſumus: *quod exhortationem quidem acceperit, ſed majori ſtudio (ductus) ſua ſponte ad vos abierit* (1). Ex hoc itaque loco nil colligi potest, unde Titum Corinthum jam petiisſe pateat. — Nec magnam adeo difficultatem creare mihi videtur locus, XII. 18.: *Precatus ſum Titum, et cum eo miſi fratrem; num quid vos expilavit Titus?* Greevio quippe non concesſerim, Paulum, ibi non primam, ſed alteram Titi misſionem ſpectasſe. Aliter enim quid Corinthios in-

(1) Cf. Greeve, l. l. D. 2. p. 79. (2) σπουδαιότερος.) ſ. *diligentior*, quod cum Storrio posſet explicari: *diligentior nunc, quam primo, ubi multis demum argumentis perſuaderi poterat* (cf. *Not.* I. p. 84.) ſ. *magna cum diligentia*, ut comparativus ſumatur pro ſuperlativo, uti ſaepe ſolent Graeci, cf. 2 Tim. I. 17. Leg. Budaeus *Comm. Ling. Gr.* p. 546, 547. et Vigerus *de Idiot.* C. III. S. 2. §. 11. p. 66., ibique Hoogeveenus, not. 84. αὐθαίρετος) *Spontaneus*, cf. Schleus-

interrogasſet Paulus de Tito, qui nuper demum advenerat? Nec alienum exiſtimari potest, ei tunc etiam adjunctum fuisſe collegam, uti ſaepius illo tempore fieri ſolebat; imo ſecundo loco non unum tantum fratrem Tito adjunxit, ſed binos ſocios. Et ipſa Viri Doct. argumenta meae favere ſententiae videntur (1). Arcta enim, quam cum Tito antea Corinthii contraxerant, amicitia, VII. 13., Paulo aptam praebebat interrogandi cauſam: *Num et Titus vos expilavit.* Certus enim erat, illud eos haud affirmaturos. — Denique probabile videtur Paulum, ſi Titus jam Corinthi verſaretur, in Epistolae fine eum ſalutaturum fuisſe, quemadmodum in ceteris Epistolis ſolet, hic autem non facit; ſed univerſe ſcribit: *ſalutate alii alios ſancto osculo.* XIII. 12.

4. Denique de Pauli Corinthum petendi conſilio, in fine Epistolae declarato, obſervo: Apostolum in priori Epiſt. ſeſe Corinthum venturum promiſisſe, ſed propter cauſas ſatis graves iter distulisſe. Neque mirandum adeo, eum, ſpe ductum, fore ut emendarentur Corinthii, in fine Epistolae brevi ſe venturum affirmasſe; ſed quae ceteroquin illa fuerat necesſitas, qua cogeretur, ut initio jam ea de re ageret? Contra, nonne ex Pauli conſilio haec potius in fine erant dicenda? Deinde autem Paulus *Tertia*, inquit, *hac vice venio ad vos*, XIII. 1., i. e. tertium ad iter paratus ſum (2). Primum enim ipſe Corinthi affuerat, dein ad iter paratus fuerat, et ita nunc

SCHLEUSNER in *Lex.* ad l. uti recte GROTIUS: *ſponte ſe offerens*, ut ſenſusſit: *Titus ostendit, ſe praevenisſe mea deſideria, et ſua ſponte jam idem cupiviſſe.* (1) GREEVE l. l. p. 6. (2) Uberius hoc docuit Ven. HASELAAR in *Diſſ.* l. p. 137.

nunc tertium. Sic autem omnia facile explicantur, neque conjecturis opus est. Neque aliter antiquitus hanc formulam fuisse intellectam testatur Codex Alexandrinus, qui legit: Ἑτοίμως ἔχω ἐλθεῖν; quocum consentiunt Verss. Syr. Copt. et Arab. Erp.

Alia paululum ratione Ven. *Vlotenius* rem intelligit (1). Putat nimirum, Paulum frustra Titum in Macedonia exspectantem, et nonnullis tantum de Corinthiis auditis, ut plenum effunderet animum, Epistolam conscripsisse, et ante Titi adventum in ea conscribenda jam processisse ad C. VII. 7.; quam quidem Epistolae partem gravis et oppressi animi testem habet; adveniente autem Tito, praeclara multa de Corinthiis audivisse; et ita in scribendo ulterius fuisse progressum, at mutatis tamen animi affectibus, vel amici instar familiariter egisse cum amicis, cumque his hilariter colloquentem vitia sua patefecisse. — Hactenus Vlotenius. Apparet autem, quantum haec differant a Greevii conjectura, qui Paulum in Epistolae fine Corinthios acriter increpasse arbitratur. — Verum in toto Cap. VII., et inprimis inde a f. 4 - 9., tam arcte cohaerent omnia, ut disjungi plane nequeant; quod et ipsa Sagacissimi Vlotenii paraphrasis docet, ubi omnia eodem tenore habentur. Quod vero de vario dicendi genere dicit, de eo antea disputavi. Paulus autem familiariter cum amicis de suis vitiis nequaquam loquitur, contra invitus suam tuetur causam (2).

Sed

(1) VAN VLOTEN, *de Bijbel* T. XII. *Inleid op de 2 Brieven aan de Cor.*. p. 66 sqq. (2) Quae autem STEPH. LE MOINE. *in Variis Sacris* T. 2. p. 332 343, dubia movit, refutata videas a GABLERO, *Diss.* I. p. 43 sqq.

Sed satis de his. Igitur non est quod haec Pauli Epistola in varias Epistolas, aut earum partes, dividatur; contra illam esse unam, eodem tempore, commotoque vehementer animo conscriptam, verisimillimum est. In legenda igitur illa, *Epistolarem* scribendi *formam* observantes, affectum Pauli animum ipsi sentiamus necesse est.

Superest ut de Epistolae *argumento* quaedam, eaque pauca, addam. Argumentum quidem omni tempore interpretum exercuit ingenia, qui saepius Dialecticam rerum argumentorumque seriem pro suo ingenio constituerunt, quam nullo modo in hisce literis, animo duce et natura conscriptis, reperias (1). Veruntamen, ne Paulinam orationem confusam et turbatam continuo dicas, sedulo cave. Omnia enim sponte et ex pleno profluunt animo, alteraque notio alteram excitat. Qui vero Epistolae argumentum quaerunt, hoc probabiliter habeant.

Paulus, variis e Tito de Corinth. coetu auditis, eorum res procurandi studiosus, Epistolam scribit, in qua duas imprimis tractat res, priorem, ut se sociosque suos et munus Apostolicum tueatur, C. I-VII et X-XIII., alteram, ut ad dona pauperibus danda eos excitet, C. VIII et IX.; ita tamen, ut in hisce omnibus simul praecipua doctrinae capita referat. — Et primum quidem, salutatis Chri-

stia-

(1) Bene hic scripsit, Cl. v. Hengel. „Hoe zeer moeten die Uitleggers van den regten weg afdwalen, die de Apostolische brieven ontleden, als waren dezelven de uitbreiding van eene te voren ontworpene schets, gelijk onze kanselredenaars plegen te maken." Zie *Verh. over den invloed der karakters en denkwijze der Apost. en Evang. op derzelver schriften*, in Teylers *Godg. Gen.* 27 D. p. 28.

ſtianis, laudataque eorum agendi ratione, de ſe ſuiſque fatis agit, ſtatim jam calumniam avertens, qua nonnulli eum petebant; ſuamque agendi tradens rationem. Laudanda autem, quae apud eos obtinerent, laudat, et incesto condonandum monet, C. I - II. At vero aderant Pſeudapostoli et Eccleſiae ſocii, qui Paulo calumniarentur, ejusque doctrinam parvi facerent. Has quoque avertit calumnias, et doctrinae ſuae, id est Christi, praeſtantiam prae Moſaica illa copioſe tractat, C. III., ſuamque agendi rationem cum adverſariis comparat, et ſe in mediis calamitatibus laeta futurae felicitatis ſpe erigi docet, C. IV-V. 10. Tum amorem, quo eos proſequebatur, commemorat, quo illos excitaret, ut, deſistentes ab adverſariorum doctrina, morem gererent Evangelio, ſuamque ipſi ſalutem promoverent, C. V. 10. — VII. 15. Excitatus itaque hac ſpe, C. VII. 16. quam de iis fovet, Macedonum exemplo eos adhortatur, ut ſtipes conferant, quibus Hieroſolymimitanis pauperibus ſuccurrant, idque facit cum jucunditate, C. VIII et IX. Quibus perſcriptis in mentem redeunt, quae de Apostolico ejus munere dixerant adverſarii, quod propterea fortiter tuetur, et nativam, qua valet, eloquentiam in hac Epistolae parte luculenter declarat, C. X - XIII. 10.; totusque verſatur in ſuadendo, tuendo, laudando, monendo, hortando, increpando, et bene precando. Ceterum, postquam paucis eos verbis admonuerat, dilectos ab eo Corinthios ſalutat, et additis precibus Epistolae finem imponit. (1)

(1) Qui plura de hisce legere cupiat adeat MOSHEMIUM l. l. t. 2. p. 10. DE PERPONCHER l. l. *in de verklarende Inhoud.* HUG. *Einl.* l. II. p. 253.

SE-

SECTIO ALTERA

DE

PAULI INDOLE

IN HAC EPISTOLA OBSERVANDA.

Multiplicem quidem usum Pauli scripta praebent. Christianam Religionem edocent; historia Ecclesiae Christi primis temporibus ulterius inde cognoscitur; et, ne alia afferam, egregie illa valent ad Pauli indicandam indolem. (1) Inprimis autem altera ad Corinthios Epistola ad eum ita accuratius cognoscendum apta mihi videbatur; quod nemini mirum accidat, qui noverit, Paulum in ea se suamque causam tueri, et comiter dilectos sibi Corinthios admonere. — Quapropter operae pretium fore confido, si Apostoli indolem verisimiliter ex ea collegerim. Ne tamen quis autumet, hic me Characterismum Pauli plene descripturum; nam post Acutissimorum Virorum Witsii, Hemsterhusii, Niemeyeri, Ravii, Vlotenii, Hugiique (2) labores, quid juve-

(1) Ut bene monuit Hug. *Einl. in die schr. des N. T.* T. II. p. 217. (2) Witsii *Praelectt. de vita et rebus gestis Pauli Ap.* sect. XIII. obviae in ejus *Meletemat Leid.* p 200. Niemeyer *Charakter van Paulus*, in *de Charakterkunde van den Bijbel.* 5e D. 1e en 2e st. Hemsterhuis *Oratio de Paulo Apostolo*, repetita in Hemsterh. et Valckenarii *Orationibus* p. 1 sqq. S. F. J. Rau *Oratio de J. C. ingenio et indole perfectissimis per comparationem cum ingenio et indole Pauli Apostoli illustratis*, Lugd. 1798. v. Vlo-

venilis mea opera hic posset? Mihi autem *observasse* suffecerit, quaenam Paulini ingenii animique dotes hac in Epistola inprimis sint conspicuae, quas pro ingenii tenuitate ordine nunc exponere conabor.

§. 1.

Studiorum constantia.

Initium facio a Pauli studiorum constantia. Haec enim inprimis ex Epistola elucet, et ubi illa adest, ibi demum hominum ingenium et indoles ita sunt comparata, ut ejusmodi merito habeantur animo constantes, quos dicunt firmo morum charactere praeditos. Ubi vero illa desunt, leves et mutabiles se praebent homines, nec, quid eorum ingenium sit, definiri potest. Quanam autem studiorum constantia Paulus eminuerit, agedum, ex ipsa Epistola eruamus.

Observamus autem Apostolum in omnibus, quae perageret, *certis duci cogitandi agendique principiis.* -- In his maxime bina animadvertantur velim: certa nimirum rerum persuasio, et propositum, cujus erat tenax, actiones suas huic persuasioni accommodandi.

Atque, ut a *persuasione* ordiar, inprimis ei persuasum erat *de Evangelii veritate et praestantia*, quae quidem persuasio firmiter ejus animo inhaerebat. Propterea ubique hancce Religionem tam strenue tuebatur, ejusque causam, quidquid agerent

VLOTEN *over het Karakter van Paulus*, *Bijbel.* D. XI. HUG. *Einl.* I. II. p. 215 sqq et leg. quae monuit CHRYSOSTHOMUS in 7. *Orat. de Paulo*, quarum binas repetiit HEMSTERHUSIUS op. I.

rent homines, a Deo sustentatam fore credebat; et aperte ejus praestantiam indicat prae Mosaica lege, cui olim fuerat addictissimus. Ministerium autem Evangelii, Mosaicae religioni oppositi, *Novi Foederis, non literae, sed spiritus ministerium* appellat, ejusque praestantiam ita indicat: *nam litera occidit, spiritus autem vivificat;* (1) quo in argumento asseveranter pergit: *Quodsi mortis ministerium, literis informatum in saxis, fuit gloriosum .... qui non potius ministerium spiritus erit gloriosum! nam si ministerium condemnationis (fuit) gloriosum; mul-*

(1) Plerique interpretes cum veteres, tum recentiores, f. 6., *τὸ γὰρ γράμμα ἀποκτείνει, τὸ δὲ πνεῦμα ζωοποιεῖ.* proprie de Religione et Mosaica et Christiana intelligunt, cujus utriusque diversos effectus et indolem respexerit Apostolus. Nuper vero Doct. KRAUSE (in *Progr.* l. III. p. 9.) in iis proverbium quoddam, in scholis Judaicorum doctorum usitatum, invenire sibi visus est, „quo significaretur: legum Mosaicarum literalem interpretationem, ad animos excitandos nullam plerumque vim habere, mystico vero, f. spirituali sensu, qui in literis, tamquam animus in corpore, continetur, mentes in rebus divinis initiari ac supra humana evehi." Putat autem Vir Doct. Paulum hoc proverbium ad praesentem rem accommodasse, ut eo majorem Religioni Christ: conciliaret fidem. —— Et profecto huic loco inest; quod proverbium redolet. Congruit itidem Paulinae scribendi rationi, qua in dirimenda lite adversariorum formulis utitur, easque ad causam suam adhibet. Ita forte Christus alio sensu ejusdem proverbii parte usus est, Joh. VI. 63. *τὸ πνεῦμά ἐστι τὸ ζωοποιοῦν.* Videtur hoc proverbium Paulo in mentem venisse, scriptis jam: *οὐ γράμματος ἀλλὰ πνεύματος.* — Ceteroquin agit de Religione Mos. et Chr. *γράμμα*) quae scripto continetur. Lex Mosaica. *πνεῦμα*) quae Spiritus Div. in mentes agit. Cf. f. 17, 18. Rom. VII. 6. Sect. 7. *διακονία τοῦ θανάτου.*) ministerium, quod mortem annunciat. Cf. SCHLEUSN. *in Lex.* ad l. *κατακρίσεως*) quae condemnat et poenas infligit, ejusque contrarium est *δικαιοσύνης*) quae absolvit. Cf. KRAUSE ad l. Sect. 11. *τὸ καταργούμενον*) a brevi illo, quo Religio Mosaica duraret, spatio, ad Christianae Rel. perennitatem procedit. Alludit forte ad f. 7. ——

multo magis ministerium justitiae abundat gloria; . . . *nam ſi quod aboletur, est glorioſum, multo magis id, quod manet, glorioſum est.* C. III. 6-11. Hiscce quidem omnem Judaeis de religione ſua gloriandi anſam praeripit, ſuamque animi perſuaſionem aperte testatur. Propterea illud Religionis beneficium *theſaurum* vocat, IV. 7., et judicium extremum horrendamque ejus maleficis vim proponens, illud habet: *terrorem Domini*, V. 10.

Verum illa perſuaſio non ſolum talis erat, qua praestantisſimam hanc haberet Religionem, ſed etiam qua ſalutiferos ejus effectus in mente perciperet, eique *perſuaſioni convenienter ſuas inſtitueret actiones.* Laete ergo ſcribit de *ſolatio*, quo *in mediis calamitatibus* fuerat affectus, et cum ei perſuaſum esſet de Evangelio, Deum intimo ex animo reveretur tanquam Patrem miſericordiae, et Deum omnis conſolationis, conſolantem eum in omni oppresſione. I. 3, 4. Malevoli quoque objurgatores Paulum habebant variis calamitatibus, poenae loco, a Deo affectum. Hos ut refutaret Apostolus, quantopere ſibi de Evangelio perſuaſum esſet, aperte declarat, et propter ipſas calamitates gratias Deo refert. Uti enim abundabant perpesſiones ob Christum in eo, ita etiam per Christum abundabat conſolatio. In faustis ita et infaustis Christi doctrina animum ei addidit, ſ. 5. (1).

Haec

(1) παθήματα τοῦ χριστοῦ.) De interpretando hoc loco disputant fere interpretes. Bosveld, Krause (*Progr.* I. I. p. 6.) *ipſas Christi perpesſiones* intelligunt, quae ad Paulum redundabant; ita ut indicaret, ſe in communionem malorum, a Christo ſusceptorum, veniſſe, cf. Rom. VIII. 17. Coll. I. 24. Phil. III. 10. Aliter autem Mosh. Hamelsv.

Ro-

Haec autem perſuaſio laeta ſpe eum evehebat de futura felicitate, cujus ſe participem fore certo confidebat. *Nos autem omnes*, ait, *retecta facie gloriam Domini, ut in ſpeculo, intuentes, in eandem imaginem transformamur ex gloria in gloriam*, C. III. 18. (1) Ulterius vero certam hanc quam conceperat, ſpem, refert IV. 16. — V. 11. Etiamſi enim externus ejus corrumperetur homo, internus tamen in dies renovabatur. Quippe externas, quibus corpus afficiebatur calamitates, temporarias cenſet, et momentaneae levitatis inſtar (2). His ve-

ROSENM. SCHLEUSN. GREEV., *calamitates ob doctrinam Christi perpesſas*; et ERASMUS: (in *Paraphr.* p. 661.) *afflictiones, quas ob Christum et exemplo Christi perpetimur*; quod quidem optime congruere videtur contextae orationi, quippe addit ſ. 6. Εἴτε δὲ θλιβόμεθα... ἐν ὑπομονῇ τῶν αὐτῶν παθημάτων, ὧν καὶ ἡμεῖς πάσχομεν; et ſ. 8. ὑπὲρ τῆς θλίψεως, τῆς γενομένης ἐν τῇ Ἀσίᾳ, quae omnia ſane arctisſime cohaerent cum ſ. 5. — περισσεύειν) *abundare, cumulare*; ſequente praep. εἰς cum accuſativo: *abunde contingere* cf. Rom. V. 15.: ſenſus ergo est hicce: *abunde nobis contingunt perpesſiones ob Christum.*

(1) Doct. NOESSELTUS (*Opusc. Fasc.* 2. p. 174 ſqq.). aliique, pronomen ἡμεῖς ad ſolos Apostolos referunt, Moſi in eo ſimiles, quod Dei faciem intueantur. Probabilius tamen videtur cum GROTIO, MOSHEMIO, KRAUSIO, aliis, ad omnes Christianos id referre, Judaeis oppoſitos; quod cum contextae orationi, tum voci πάντες optime congruit. Leg. EMMERLING *Versüch einer Gramm. Hiſt. Erklarung der Stelle*, 2 *Cor. III.* 4. — *IV.* 6., quae reperitur in *Analecten fur das ſtudium der Exeg. und Systh. Theol. von Dr.* KEIL *und* TZSCHIRNER 1812. N°. 7. — Ipſa quidem imago explicetur ex ſup. ſ. 13-16. τὴν αὐτὴν εἰκόνα μεταμορφούμεθα.) interprete KRAUSIO: *eandem imaginem, quam intuemur, in nos translatam ferimus*, cf. 1 Cor. XV 48. 2 Tim. II. 12. Apoc. V. 10. ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν.) *magis magisque ea illustramur.* Atque ita ſplendoris illius incrementa ſpectantur.

(2) ἔξω ἄνθρωπος.) *Externus homo*, in quo deſcribendo Paulus corporis imbecillitatis rationem habet. ὁ ἔσωθεν.) Paulo conſueta est formula, Rom. VII. 22. Eph. III. 16. Adhibetur de mente, quatenus est emendata; cf. SUICERUS in *Theſ.* ad. v. ἄνθρωπος; veluti Petrus dicit ὁ κρυπτὸς τῆς καρ-

vero opponit futuram felicitatem, quam dicit καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν αἰώνιον βάρος δόξης (1). In quibus verbis tanta inest copia, ut ejus de futura felicitate persuasionem plane declaret; et in illa indicanda ulterius pergit. *Novimus enim*, cet s. V. 1. Quam ut eo magis exprimat, miseram in terris conditionem sibi ob oculos ponit, C. V. 1. sqq. Deum vero agnoscit eum, qui illum ad hoc ipsum condidit, eique Spiritum, tamquam promissi pignus, dedit (2).

Insuper vero aliud agendi cogitandique principium in Epistola est obvium. *Certo* enim *ei erat persuasum, se tamquam Apostolum a Deo esse constitutum*, cui persuasioni convenienter officio, sibi mandato, fungi volebat. Hoc quidem tota Epistola docet. Profitebatur sese Apostolum J. C. per Dei voluntatem, C. I. 1., administrum gaudii Corinthiorum, s. 24., Christi bonam fragantiam Deo,

C.

καρδίας ἄνθρωπος, 1 Petr. III. 4.; qui ἀνακαινοῦται i e. *novas sumit vires*, cf SCHLEUSNER ad l. novo vigore procedit, in fide perficitur, ita opponitur τῳ: διαφθείρεσθαι externi hominis. —— ἡμέρᾳ καὶ ἡμέρᾳ) *In dies.* Hebraeorum יום יום Graecorum καθ' ἑκάστην ἡμέραν. Cf. 1 Sam. XVIII. 16. Esth. III. 4. Job. I. 4. —— παραυτίκα ἐλαφρὸν.) Cf. WETSTEIN in *Not.* ad l.

(1) καθ' ὑπερβολὴν εἰς ὑπερβολὴν) Consueta Paulo scribendi ratio. Ita C. III. 18. ἀπὸ δόξης εἰς δόξαν. Rom. I. 17. ἐκ πίστεως εἰς πίστιν. Hebraei (notante ERASMO ad l.) istiusmodi duplicatione epitasin exprimunt. Intelligit insignem gloriae praestantiam. Minus recte BEZA verba ad αἰώνιον retulit. Cf. GROTIUS, BENGEL in GNOM. t. 2. ad l. βάρος δόξης) pro βαρεῖαν δόξαν. Eodem sensu vernacula sumitur vox: *gewigtig*. (2) ἀρραβὼν τοῦ πνεύματος) ערבון. Vox origine Hebraica, ac proinde e Phoenicia, cf. GROTIUS ad l. — A rad. ערב, εγγυᾳν, fide jubere. Gen. XXXVIII. 8. Hebraei et Graeci id omne ἀρραβῶνα dicunt, quo dato, confirmatur promissio (notante BEZA), sed peculiariter etiam pars pretii, pignus, uti hic loci.

C. II. 14., Novi Foederis, Deique ministrum, C. III. 6. IV. 1. VI. 4., et ministerio gaudentem reconciliationis, V. 18. Tum aeque ſe Christi legatum profitebatur, ac ſi Deus precaretur per eum, C. V. 20. Putabat enim ſe nihili inferiorem fuiſſe ſummis Apostolis, Petro vel Jacobo; quapropter audacter Pſeudapostolis ſeſe opponit, rogatque: *Suntne illi Ministri Christi? Supero (eos) ego!* C. XI. 5, 23. coll. XII. 11.

At vero *noverat* quoque Paulus, *quid Apostoli munus ab eo flagitaret*, quaeve in eo ei obeunda esſent officia. Nonnullis in locis ea recenſet, quae ad munus Apostolicum recte gerundum neceſſaria ducat. Huc refert animi ſibi recte conſcii testimonium, quod cum ſimplicitate et ſinceritate Dei, non cum hominum depravatorum ſapientia, ſed in favore Dei verſatus ſit in mundo, potisſimum apud eos, C. I. 12. (1); et quanta illa duxerit, in bene administrando munere, aperte declarat, quum illud testimonium ſuam habet *gloriationem* (καύχησιν). Maxime vero talem ſe praebet in refellendis adverſariis. Nam *non*, inquit, *ut plerique cauponamur ver-*

(1) ἁπλοτήτι.) Pro ea legunt ἁγιότητι Codd. A B C 37. 64. 67** 73. *Mt. g.* Verss. *Copt. Arm. Clemens*, *Orig. Damasc. Antioch.* et (not. WETSTENIO) *Anton.* Verum retinenda est cum MILLIO et GRIESB. Codicum auctoritate recepta lectio. — *Cordis*), de ſuo addidit *Interpres*, notante ERASMO. — θεοῦ.) abest in *Syr. post.* et apud *Orig. Theod. Ambſt. Chryſ.* probante BENGELIO. Additur a MILLIO, GRIESB. σαρκικῇ.) Legunt σαρκίνῃ Codd. F G; at in omnibus hisce retinenda recepta lectio.

ἐν ἁπλότητι) *Candide, ſine ullo fuco*, et *fraude* Cf. SCHLEUSN. ad l. εἰλικρινείᾳ.) *integritas.* θεοῦ.) Hae ex Deo proficiscebantur, cf. C. II. 17. — Leg. PERPONCHER l. l. ad l. σοφίᾳ σαρκικῇ.) Sapientia hominum depravatorum; uti conſuetus apud Paulum vocis σάρξ uſus fert, et qua adverſarii gaudebant.

verbum Dei, C. II. 17.; *haud dominamur vestrae fidei*, I. 24.; *neque nos ipsos vobis commendamus, posthac neminem novimus secundum carnem*, V. 12-16. *Propterea . . . non segnescimus*, *sed abdicavimus turpitudinis tegumenta*, C. IV. 1, 2. Haec sane Apostolum decent! — Propterea Christianos ad mutuam caritatem morumque emendationem erigere studuit, C. II. 4, 7, 9. V. 11. Et hoc suum consilium ulterius indicat, C. VIII et IX. Christianorum, in quacunque versentur conditione, commodis inservire, eaque sublevare, sui muneris duxit Apostolus. Et ideo, non tantum in Macedonia pro Hierosolymitanis, stipes cogebat, sed apud Corinthios et Achaeos continua cura versabatur. Hocce ductus principio Corinthiaco coetui non minimum prospexit, sed omnem dedit operam, qua eum purum constitueret, eosque tenerrimo, quo Deum solebat, complectebatur amore, C. XI. 2. Atque hanc ob causam patientiam in tolerandis calamitatibus, signa, prodigia et virtutes, Apostoli signa habet, C. XII. 12., et in malis quibusvis subeundis, sese iis velut Dei ministrum approbaverat, C. VI. 4.

Cum autem Paulus his, aliisque certis cogitandi agendique duceretur principiis, hinc enata fuit *studiorum constantia*, quam characteris firmitatem vulgo dicunt.

Universe quidem illa studiorum constantia in tota Epistola tam manifesta est, ut licet varia, eaque non probanda, de Corinthiis audivisset, nequaquam tamen in actionibus suis erga eos regundis commutatus fuerit, sed eadem incesserit via. Neque enim

in

in iis emendandis, aut in rectam revocandis viam, ad extrema proruit; nec levitate usus eorum commoda neglexit. Verum quidquid obloquantur adversarii, eos strenue et comiter refellit; et sicubi necesse ducat, seria utitur et gravi oratione. Conscientia enim recti justique fretus, hac nititur: hac coram aliis exsultat; nec calumniis ipse in errorem trahitur. Neque animo despondet, nec tandem se efferens, alios contemnit, ut illi solent, qui mobiles levesque sunt.

Porro vero firma illa Apostoli indoles cernitur in *regundis actionibus.* Observes modo qualem se praebuerit, *in sui et ministerii*, quod gerebat, *defensione.* — Qui studiorum constantia carent, hi venti ad instar, feruntur, adversariorum calumniis petiti, suntque in agendo leves ac sui contrarii; fore sperantes, ut ita adversariorum sibi benivolentiam concilient. At hujus mobilitatis q. d. ne vestigium quidem in hac Epistola apparet, in qua tamen omnes suos sensus, studiaque omnia Paulus expressit. Neque enim nimium iis concessit, nec sese accommodavit, ut homines inconstantes et varii solent. Contra vero, recti sibi conscius, iis sese jure opposuit, de eo tantum sollicitus, ut dignum se praestaret Apostolum, et in condendo, amplificando emendandoque coetu Christiano constanter pergeret. Neque metuit calumnias, quas, absente se, moverant adversarii; quos strenue refutat, graviterque perstringit. C. XI. Ut autem talem se praestaret, tantus animi ardor, impetus et magnitudo requirebantur, cujusmodi inprimis Paulo inerant. Quamvis igitur aedificium, quod struxerat Apostolus,

everterent adverſarii, ejus amorem calumniâ exciperent Corinthii; tamen animo haud despondet; ſed ignea vi, mentisque alacritate pollens, ab incoepto opere deſiſtendum esſe, ne cogitat quidem. Strenuum contra ſeſe gerit Religionis vindicem, et in ſumma calumnia, irritoque labore in animum ſibi revocat: *adjuvante Deo, nil mortalibus arduum!* —

Verum, quam conſtantem ſe gerat *in ipſos Corinthios*, proximum est, ut videamus. Propter illos quidem cura ac ſollicitudine angebatur, C. II. 12.; et niſi ſumma fuisſet animi conſtantia, proſpero, quem Troade experiebatur, ſuccesſu abreptus, facile neglexisſet Corinthios; at vero illic haud requiem habuit in animo. Propoſitum quidem *iter* ſtatim *distulit;* conſilium ſuum, ne tristis ad eos veniret, exſecutus est, et quaecunque calumniarentur adverſarii, haud curabat Apostolus; ſed eos emendandi ſtudioſus, et propoſiti tenax, iterum iter differebat, certus, ſe ita Corinthiorum ſaluti proſpecturum fore, etiamſi per Titum noverit, ſibi hanc ob cauſam adverſarios calumniari (1). Id enim eo magis probat, cum propoſiti fuisſe tenacem, quo majori eorum viſitandorum ferretur deſiderio, ipſo teste, C. II. 4. — Illius autem conſtantiae indicium praebet, in *agendi ratione cum incesto*, C. II. 5. Paulus enim omnia in coetu Corinthiaco ordinare cupiebat, neque ulla unquam invidia ſe abripi patiebatur; imo hunc, ſcelere notatum, at emendatum eun-

(1) De hoc loc. conſ. inprimis Ven. BOSVELD l. l. p. 81 ſqq.

eundem, inter Ecclesiae socios assumi jubebat, etiamsi suis partibus addictus non fuisse videtur.

Semper itaque in regundis actionibus sibi constitit Paulus. Non minorem autem studiorum constantiam monstravit, quod, certus de Evangelio et munere suo, *quascumque calamitates in ejus gratiam ferre cogeretur, illas lubenter subiret*, easque neutiquam reformidaret. Ita Ephesi valde fuit pressus supra vires, adeo ut spem vitae abjiceret, imo sententiam mortis in se ipse haberet, quae tamen sic pertulit, ut inde disceret, non sibi confidere sed Deo, qui mortuos excitat, C. I. 8, 9. (1) Dei ministrum sese probaverat, patientia in oppressionibus (2), in necessitatibus, in angustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigiliis, in jejuniis, aliis, quae Evangelii gratia lubenter tulerat, C. VI. 4, 5. Aut quid quaeso majus indicari possit, quam quod hanc se inter et Pseudapostolos instituat comparationem, in egregio loco, XI. 23. *Eos ego supero! in fatigationibus amplius, in carceribus amplius, in mortibus saepe. A Judaeis quinquies accepi quadragenas (plagas), unâ minus. Ter virgis caesus fui, semel lapidatus, ter naufragium feci*, alia. Imo ipsos testes compellat Corinthios, quanta in Evangelii eorumque gratiam lubenter subierit, C. XII. 12.

Uti autem amicus certus in re incerta cernitur, ita

(1) De h. l. leg. Ven. HASELAAR, in *Diss.* I. p. 109.
(2) Ita enim, omisso commate post πολλῆ, sectionem 4. esse legendam, docuit Cl. HERINGA, *Verh. over het gebruik en misbruik der Kritiek*, in de *Werken van het Haagsch Gen. tot verded. van den Christ. Godsd.* 1790, p. 261.

ita in calamitatibus ferendis hominum indolem egregie discimus. In his igitur Pauli non tantum perfuafionem de Evangelio, fed conftantiam, fed indolis firmitatem, fed igneam vim animi admiramur; qua impulfus laete fcribit: *five premimur, (id fit) pro vestr a confolatione,... five folatio fruimur, (id fit) pro vestra confolatione*, C. I. 6., et, *fpes nostra (βεβαια) firma est de vobis.* Haec enim obtinent, quando *βεβαια* adest indoles. In fecundis ergo et adverfis rebus, certis illis animi teftibus! eundem fe femper praebuit. In periculis latronum, fluminis et mortis, in ferendis poenis, immerito ei inflictis, in nimio honore, quo afficeretur, fibi femper conftitit, nec unquam fe probum virum et Apostolum praeftare defiit.

Denique, Pauli ftudiorum conftantia maxime apparet, quod, dummodo ei esfet perfuafum, et fraterna fineret caritas, *omnibus, quae perverfa malaque funt, adverfetur, five fint vetustatis nota, feu aevi fui moribus, commendata.* Quapropter merito: *non quaero*, fcribit, *quae vestra, fed vos*, C. XII. 14. — Si certis agendi principiis haud ductus esfet Paulus, gratiae captandae caufa istis fefe accommodasfet, aut Petrinis et Jacobitis tantopere fefe non oppofuisfet. Verum non ita Apostolus fecit. Eorum vitia redarguit; pravam doctorum indolem proponit; et introductis Sacris Christianis cultum Mofaicum omnino esfe abolendum, declarat. In quibus Paulus fuam indolem eo magis prodit, quo antea ipfe Pharifaeorum fectae addictior fuerat.

Et in oppugnandis Paulinis vel Apolloniis, fibi praecipue faventibus eundem fe gesfit, horumque ftu-

ſtudia dicit σοφίαν σαρκικήν, neque illis, quos levitate uſus, ſibi capturus fuisſet, magis parcit. Denique Corinthii ſectis indulgebant, et disputandi ardore ferebantur; verum etiam his eorum ſtudiis obſiſtit Paulus, quamvis haec ſui temporis vitia esſe nosſet.

De Paulo igitur haec Horatii uſurpare licet:

„Justum, et tenacem propoſiti virum
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus inſtantis tyranni,
Mente quatit ſolida . . . .
. . . .
Si fractus illabatur orbis,
Impavidum ferient ruinae" (1).

§. 2.

Modestia, cum justo conjuncta dignitatis ſuae ſenſu.

Justum dignitatis ſuae ſenſum, in Paulo conſpicuum, ubique fere in hac Epiſtola obſervamus. Hunc quidem ſenſum animadvertimus in *existimatione et commemoratione ſuarum facultatum, dotium, et beneficiorum divinitus in eum collatorum.* — Et praeſentem et abſentem ſeſe ſemper eundem praeſtitisſe profitetur, C. X. 11., neque ingenii, quibus eum beavit Deus, facultates, C. XI. 6., nec ſapientiae dotes, ſ. 16., commemorare coram amicis et adverſariis praetermittit; imo gentis, tribus,

(1) Hor. Carm. L. 3. Od. 3.

bus, et familiae praerogativas, ubi iis gloriantur adversarii, jure prae se fert, f. 22., iisque se illis opponit Apostolus.

Dein vero Religionis Christianae beneficia, quorum particeps evasit, recenset. ὁ δὲ βεβαιῶν, ait, ἡμᾶς σὺν ὑμῖν εἰς χριστὸν, καὶ χρίσας ἡμᾶς, Θεὸς, *qui nos obsignavit et dedit Arrhabonem spiritus in cordibus nostris* (1), I. 21, 22. Neç ceterorum beneficiorum, a Deo

(1) βεβαιοῦν) *Confirmare*. Scil. in fide. Verbum enim βεβαιοῦν de confirmandis Christianis, ita ut essent immoti in fide, usurpatur, 1 Cor. I. 8., Hebr. XIII. 9. Et Coll. II. 7. legimus: ἐῤῥιζωμένοι καὶ ἐποικοδομούμενοι ἐν αὐτῷ (scil. χριστῷ), καὶ βεβαιούμενοι ἐν τῇ πίστει. — εἰς χριστὸν) Varie exponitur. ROSENM. BOSVELD, *in doctrina Christiana*, pro ἐν χριστῷ. MOSHEIM, *in munere Apostolico*. BENGEL, LANGE, HEUMAN, HAMELSV., KLINKENB., *in fide Christi*, pro ἐν πίστει ἐν χριστῷ; quod sane cohaerentiae verborum congruit. Majori autem probabilitate exponi posse mihi videtur per: εἰς ἓν σῶμα χριστοῦ, coll. 1 Cor. XII. 12, 27. cet. *qui nos vobiscum confirmavit in uno corpore Christi, Deus est*. Quae interpretatio haud parum confirmatur formula: ἡμᾶς σὺν ὑμῖν. — χρίσας) de *inaugurandis regibus* aliisque usurpatur. Hinc de consecratione ad munus Apostolicum usurpari apte posset. Sed sumitur etiam alibi de doctrina, ejusque institutione, cf. 1 Joh II. 27. quo sensu si acciperetur, docuisset Paulus, eos quoque doctrinam a Deo accepisse, cujus notitia beati sunt. — σφραγίζεσθαι) Recens initiati signo notabantur; cf. KRAUSE *Progr.* II. p. 5. Hinc metaphorice de iis, qui sigillo de re quadam certiores reddebantur; leg. Pater Cariss. in *Diatr. de Divinitate J.C.* p. 36, et Doct. DONKER CURTIUS, *de Apoc. ab indole cet. Joh. Apost. non abhorrente*, p. 129. Quod sigillum, cujusmodi sit ipse indicat: τὸν ἀῤῥαβῶνα τοῦ πνεύματος, sive ut Eph. IV. 30. τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τοῦ Θεοῦ, et Eph. I. 13. τὸ πνεῦμα τῆς ἐπαγγελίας, in quibus omnibus spectatur spes certa futurae felicitatis, ex S. S iis dato enata. — Proin crediderim, haec omnia beneficia, tametsi omnibus Christianis data, hic eximie Paulo et Timotheo tribui, ad docendum, eorum doctrinam incertam aut variam non fuisse. Erant nimirum unum tantum σῶμα, eandem habebant πίστιν, quin idem πνεῦμα; quapropter horum institutio varia esse non poterat. Quod egregie convenit cum iis, quae Paulus alibi, tametsi alio consilio, scribit, Eph. IV. 4. ἓν σῶμα καὶ ἓν πνεῦμα, καθὼς καὶ ἐκλήθητε ἐν μιᾷ ἐλπίδι τῆς κλήσεως ὑμῶν — μία πίστις.

a Deo acceptorum commemorationem, ubi opus est, cum aliis communicare, iisque probare, quantopere Deus ſibi adſuerit, dubitat. Porro liberationem ex urbe Damasci, Areta Rege, C. XI. 32., et coeleſtem patefactionem, qua 14 annis ante conſcriptam Epistolam beatus fuerat, aperte testatur, C. XII. 1-9. Hanc autem dicit *ὑπερβολὴν τῶν ἀποκαλύψεων*, eamque talem, quali mortalium nemo beatus fuit.

Sed justum hunc dignitatis ſuae ſenſum inprimis admiramur, *ubi* Paulus, *de* eo, quod gerebat, *munere*, *iisque*, *quae eo pertinebant*, *mentionem facit*. Uti enim in aliis, ita etiam in hujus Epistolae initio ſeſe Apostolum profitetur, C. I. 1., neque illud negligit ob additum Timothei nomen, qui ſplendido illo titulo carebat (1), ſed ſaepius repetit. Ita ſe dicit Ministrum Novi Foederis (cet. de quibus ſupra) C. III. 6., ſuumque ministerium tantopere evehit, ut ſummam ejus *δόξαν*, ſalutiferosque effectus recenseat, eosque non tantum ad ipſam doctrinam, ſed (quod inprimis obſervandum) ad doctrinae ministerium (*διακονίαν*) referat. Ad haec muneris ſui prae Moſaico illo praeſtantiam aperte Judaeo-Christianis declarat, C. III. 7-15. Illud appellat, *verbum reconciliationis*, aitque ſe Chriſti nomine legatione fungi, perinde acſi Deus precaretur per eum, C. V. 19. Quid! quod ſe ad homines divinitus misſum interpretem, C. II. 17., et Dei

(1) „Glorioſum Apostoli titulum inſcribere ſibi nusquam praetermittit, ſed ea tamen temperatum cautione, quae animum divini beneficii ſubmisſe memorem demonſtrat." Ita ſummus Hemsterhusius in *Orat. de Paulo Apostolo* ſ. 27.

Dei adjutorem dicat, C. VI. 1. (1) Libere etiam sese cum ceteris comparat Apostolis, neque se concedere fatetur illis, quos Corinthii eximios habebant, C. XII. 11. (2)

Inprimis vero hic sensus apparet, *ubi Paulus, vires suas et divina beneficia, quibus Apostolico muneri gerundo par esset, commemorat.* Eum de se praedicantem audias. Dicebant adversarii Paulum, hominem σαρκικὸν, naturalibus tantum viribus valere et facultatibus; orbatum vero illum esse donis extraordinariis, quibus se Dei legatum ostenderet. Jam vero respondet Apost.: *Arma militiae nostrae non carnalia sunt (imbecillia), sed divinitus valida, ad subversionem munitionum*, cet. (3) C. X. 4 - 6., iisque jure aeque gloriatur, ac potentia miraculorum (4), qua inter eos invaluerat, C. XII. 12.

Idem autem ille dignitatis suae sensus ei inest, quando *suam in fungendo munere diligentiam*, se

(1) συνεργοῦντες) THEOPHYL., CHRYSOSTOM. alii id ad homines referunt, ut h. l. sit: *Corinthiorum adjutores.* Verum cum ERASMO, GROTIO, aliis, referendum videtur ad Deum. συνεργοῦντες Θεῷ, coll. Cap. V. 20. et 1 Cor III 9. (2) ὑπερλίαν) Adverbium compositum. Duplex nota magnitudinis. ERASMUS, HEUMAN, alii, Pseudapostolos intelligunt. Observandum autem hanc sectionem cum toto hoc loco cohaerere. Quapropter intelligere malo, quos Corinthiorum quidam prae Paulo eximios habebant Apostolos, id est Petrum et Jacobum. γὰρ) *sed*, cf. GROT., BENGEL, WOLF ad l. (3) δυνατὰ τῷ Θεῷ) Dativus instrumenti, *per Deum.* Putat GROTIUS Paulum, f. 5. respicere Josuam, qui ad buccinae sonum, Deo agente, dejecit munimenta Jerichuntis. Possit forte, sed attendatur inprimis, eum in tota hac allegoria respicere militem armatum, qui castella et propugnacula, moenia et munimenta dejicit, f. 4c. 5ª. qui captivos ducit adversarios, 5ᵇ, qui Regi subest, 5ᶜ, et inobedientiam contra Regem severe punit, f. 6. (4) σημεῖα, τέρατα, δυνάμεις, *miraculorum potentiam* designant, cf. ERASMUS ad. l.

sedulitatem et studium in mentem sibi revocat. Hanc enim praestantiam suam Corinthiis indicare non veretur. Ideo fatetur se sine fuco et sincere, non in sapientia humana, sed potius in favore Dei, (1) inter eos fuisse versatum; nec cauponatum fuisse, ut alii solent, Evangelium, callide et avare, ut inde sibi emolumentum nancisceretur, aut sibi auctoritatem conciliaret; sed vero multa se παῤῥησίᾳ in sermonibus uti, C. I. 12. II. 17. VII. 4. Fatetur quoque sese in ministerio fungendo haud segnescere, nec se natalium jura majoris facere, quam virtutis et fidei praestantiam, C. IV. 1, 16. V. 16. (2) Item fatetur, sese humiliasse, victum manibus quaerendo (3), ut eorum inserviret usibus, C. XI. 7., se gratis ad eos salutis nuncium tulisse, se nemini in vivendi ratione fuisse onerosum, se adversariis opportunitatem amputasse, qua ei se similes praestarent, in eo, quod stipendium non acceperit, ut illi; porro se omnia in Evangelii gratiam lubenter tulisse, labores, calamitates, mortis periculum, s. 8, 9, 12, 23, eaque plura quam alii; neque curam de omnibus Ecclesiis ei umquam fuisse onerosam, s. 28.; sed vero se omnia patientia et ardore apud eos, in iis regundis, imo et in adversariis tolerandis, fuisse usum, C. XII, 12. Deinde venisse se fatetur, non ut eos exederet, quod

(1) GROTIUS vertit: *fretus ea sapientia, quam Deus mihi coelitus est gratificatus.* cf. BEZA alii. Leg. Ven. J. J. SCHOLTEN in *Spec. Herm. de variis significat. vocis χάρις in N. T.* p. 67 sqq. (2) κατὰ σάρκα) GROTIUS, GLASSIUS, alii id ad res externas referunt; alii vertunt: *secundum carnem viventes.* Respexerim potius cum HEUMANNO ad gentem et natales, unde oriundus sit, cum Paulus hic loci Judaeos inter et Gentiles discrimen tollere studet. cf. Gal. VI. 15. (3) Cf. Phil. II. 8.

quod adverſarii ſolent, ſed ut eorum promoveret commoda, ſ. 14., ſe una cum iis, quos miſerat, collegis, id ſpectasſe, ſ. 17., ſeque omnia ad eorum *οἰκοδομὴν* retulisſe, ſ. 19. cet.

Denique ille *ſuae dignitatis ſenſus patet in commemoranda utilitate*, quam *rei Christianae* attulit, *et in enumerandis fructibus*, *quos jamjam erat expertus.* Atque hanc in rem non obscure indicat, ubique ſe doctrinam Evangelii annunciasſe eo cum fructu, ut multis fuerit vitae et ſalutis cauſa, C. II. 15, 16. Et quantum hisce pretium ſtatuat, patet ex omni ejus oratione; quippe ſua opera effectum dicit, ut Corinthii Christianae Religionis esſent ſocii, et in ea profitenda tantos jam fecerint progresſus, C. III. 2., ut ipſi Corinthii eum in omnibus apertum et fuci expertem agnoverint, C. XI. 6. (1) Quapropter merito dicit, Christum jam pridem dedisſe potentiae ſuae apud eos ſigna, XIII. 3. (2), et ſe laetam fovere ſpem, fore ut ſuo labore, et increscente Corinthiorum fide, ulterius quam ſuis terminis propagetur Christiana Religio, C. X. 15. (3)

Vel ſic tamen non tanto abripitur ſuae dignitatis ſenſu, ut nimis ſe efferat, ac ſe ſuisque viribus pror-

(1) Cf. Beza *in Not. marg.* ad l. (2) Vertente Grotio in *Annot.* ad l. (3) *μεγαλυνθῆναι*) pro *μεγαλυνθήσεσθαι.* *dilatari*, *amplificari*, quod melius ſect. 14 et 16. congruere mihi videtur, quam ſi cum Moro et Schleusnero vertas: *laudibus celebrari*, Matth. XXIII. 5. — *κανών*) *Menſura*, *Regula*, *Dioeceſis.* Dicitur de ea orbis terrarum parte, quam ſingulis Apostolis dederat Deus, in qua Evangelium annunciarent. Ita loquitur de *ἀλλοτρίῳ κανόνι*, cf. S. F. N. Morus *Diſſ. Theol. et Phil.* p. 101., qui de toto loco legatur. *κατὰ τὸν κανόνα*) pro *ἐν κανόνι ἡμῶν.* —— *εἰς περισσείαν*) עד מעד. *usque valde*, cf. Beza ad l.

prorſus nitatur. Contra egregie cum eo *Modestiam* conjunxit; unde ſequitur, ut indolem ejus non admirari non poſſimus.

Modestum enim illum obſervamus, *ubi de ſe, ſuisque fatis loquitur.* — Etſi per totam fere Epistolam gloriatur, et ita ſuam tuetur cauſam, ut quodammodo jactari de ſe videatur, tamen ipſi huic gloriationi modestiae documenta inſunt. Atque hinc gloriatio ingratum, ut ſupra docui, in animo movebat ſenſum. Modestus enim Pauli animus a vana gloria aut jactatione erat alienus, et ideo ubique excuſandi formulas, repetitas continue, adhibet. C. XI. 1, 30. XII. 1. XIII. cet.; de quibus ſupra me agere memini.

Deinde vero, *ubicunque* aliquid conſcripſerit, quod *ſui laudem referat*, aut, quid peregerit, edoceat, eas tantum non ſemper adjungit formulas ſententiasve, quibus illa nequaquam a ſe, aut ſuis viribus repetere, ſed ſuam imbecillitatem declarare videatur: *Non*, inquit, *idonei ſumus ex nobismet ipſis ad cogitandum quicquam, velut ex nobis ipſis.* Postquam autem, ſe invito, multa congesſerat, quae dignitatis ſuae testes erant, addit continuo: *Ceterum qui gloriatur, in Deo glorietur*, C. X. 17. Etiamſi quoque ſua eaque praeclara jure commemoret, ſe tamen non adeo elatum gerit, ut eorum, quibus caret, non recordetur, C. XI. 6.

Nec negligendum illud puto, post 14 annorum ſpatium, nunc demum illum, adverſariorum calumnia coactum, ſummum, quo eum Deus beaverat, beneficium laudare: id est, coelestem patefactionem, C. XII. Hanc enim diutius reticere, nefas fue-

fuerat. In nulla quidem Pauli Epistola, in nullo ſermone, ne in iis quidem regionibus, ubi divinorum beneficiorum ſumma erat fides, v. c. inter Gentiles, hujus beneficii commemorationis vestigium reperitur. Imo quum referre incipit, modestum ſe praebet; id quod melius ſentiri, quam verbis exprimi, queat. Hinc ambagibus utitur ante, quam eo procedit, et primum quidem univerſe eam patefactionem proponit, deinde vero ita illam enunciat, ut debilitatis ſuae memor esſe videatur, C. XII. 5, 6., ejusque mentionem lubenter inſerat; quin et illic gloriationi continuo addit mentionem de illo *σκόλοπι τῆς σαρκὸς*, et *ἀγγελῷ Σατᾶν* (1), qui eum vehementer exagitabat, et cujus mentio coram Corinthiis inprimis modestiam declarat, ſ. 7. Nec minus, dum ſe in gerendo munere nemine minorem dicat, imbecillitatis ſuae est conſcius, addens: *tametſi nihil ſum.* C. XII. 11.

Modestisſimum vero Paulum agnoscimus, ubi de *ſplendido ſuo ministerio loquitur.* Ubique enim muneris ſibi delati praestantiam extollit, verum vires, quibus officio ſuo par ſit, a Deo repetit. Omnes enim facultates, omnemque ministerii ſui perſunctionem, tanquam Dei donum reveretur, C. I. 22.; dumque ſummam illius praestantiam homines edocet, divinae miſericordiae ei praesto est recordatio, C. IV. 1. (2) Nullam porro in annunciando Evan-

(1) De eo vid. infra Sect. III. §. 6. ad l. hunc.
(2) Jam in ea modestiam Pauli obſervarunt Erasmus, Grotius, alii, et Semlerus *Paraphr Erkl.* l. l. p. 95. *in nota*, illam ſpectat in Paulo, „ qui hoc munus a Christi benivolentia et miſericordia derivat, quae tantam *ἱκανότητα* in ipſum contulerit", quod maxime valet in eo, qui antea fue-

Evangelio sui laudem cogitat, nec se ipse praedicat, sed Jesum Christum, C. IV. 5., se ipse autem Christianorum per Jesum *δοῦλον*. Muneris autem sui praestantiam evehens, imbecillitatis suae memor, addit: *Habemus hunc thesaurum in testaceis vasculis* (1), f. 7., et de suo munere continue in Deo gloriatur, C. IV. 10. X. 4, 8, 17.

Qualis ergo haec Pauli *modestia* fuerit, apparet. Namque non illa fuit, qualem saepe prae se ferunt homines, nimis se efferentes aliis, ut suae potissimum arrogantiae indulgeant; contra ejusmodi erat, *quae pietate, grato animo et fiducia erga Deum sese commendaret.*

Mentis enim laetitiam, gaudium et solatium, nec a se ipso, neque ab externis caussis, verum a summo Numine repetit, Eique gratias agit, C. I. 3. VII. 6, 7. Nulla quoque sui ipsius facultate, notitia aut sapientia se valere lubenter fatetur; contra omnia Deo accepta refert, C. III. 5., ipsasque hominum actiones, quae bonae et frugiferae fuerunt, uni Deo tribuit. Ita Titi diligentiam in procurandis pauperibus, C. VIII. 16.; ita Achaeorum et Macedonum liberalitatem, omnesque interiores animi sensus studiaque omnia, Deo operante, effecta agnoscit, C. VIII. 1. IX. 15., et grates persolvit Deo, sperans fore, ut sic excitentur Corinthii, qui Deo gratos se praestent. Haec sane pietatis, haec grati animi, maxima sunt indicia! Dei etiam favorem agnoscit in largiendis ei laboris sui

fuerat acerrimus Judaismi defensor; cum quo facit Krause l. l. *Progr.* 4. —

(1) Ita vocat corpus suum, imbecillitatis habita ratione.

ſui fructibus praestabilibus, C. X. 17., ut nulla ſit gloriandi cauſa, cujus non originem a Deo petit; imo τὸν κανόνα, in quo operatur, a Deo ſibi concesſum habet, C. X. 13. Grato propterea et pio animo ubique, Dei Christique exemplo, Corinthios excitare ſtudet ad pietatem, et gratum animum Ei praeſtandum. Hoc quidem conſilio admonet eos, qui erogent ſtipes, C. VIII. 9., omniaque hominum facta eo dirigere conatur, quo celebretur Deus, C. IX. 12., et in omnibus, quae accipiant, Deo gratos ſe reddant, C. I. 11.

Hunc ſuum animum maxime declarat, quando *de Religione* agit. Grates Deo perſolvit, quod cuncta ſubiret in rei Christianae commodum. Munus ſuum Deo acceptum refert, omnemque Ei, non ſibi, dicat vitam. Speciatim vero omnem ſuam aliorumque fidem, Christianis ſacris datam, omniaque Religionis beneficia, et ipſum ministerium, C. I. 21. ſqq. C. IV. 6. V. 18., et vim ſummam, qua uſus fuit, C. X. 3, 8. XII. 9. XIII. 10., et ministerii ſui ſucceſsus, a Deo tanquam a fonte, gratus repetit, C. II. 14. X. 4. Quae quidem Paulum nobis ſiſtunt, ex animo Dei gratia pleno ſcribentem.

Tali tantaque modestia valens, omnem *in Deo* habebat *fiduciam*, in ſe nullam. Illam de Evangelii promisſis ubique fovet, C. IV. 14. IV. 16. — V., eaque tam firma ei inest, ut, quaecunque ei contingant, a Deo Patre deriventur, C. I. 9 - 11, Hinc certam fovebat fiduciam, fore, ut Deus Evangelii cauſam tueretur, C. III. 4., et Christianis promtum praeberet in benefaciendo animum, C. IX. 8.

Haec

Haec ſane ſummam oſtendunt modeſtiam, eamque veram, haud fucatam, cum juſto conjunctam dignitatis ſuae ſenſu.

§. 3.

Ingenii fervor, cum placida erga omnes benivolentia et amore conjunctus.

In legenda Epiſtola, praeter laudatas Pauli virtutes, aliae nobis occurrunt, quae ejus indolem plenius depingant. Huc ingenii fervorem, aliaque, referas. Ardens enim Pauli fervor tantus fuit, ut citius, quam alii, commoveretur. — Illum autem concitatum ubique in Epiſtola obſervavimus, et externas hujus affectionis ſupra recenſuimus cauſas. Sed vero illae inprimis vim et efficaciam habebant, ſi cauſis internis excitarentur; quas invenire mihi videor in ejus fervore, quo vehementius commoveri ſolebat. Hujus autem, quia ſupra exempla adduxi, iis nunc ſuperſedo.

Maxime quidem hic *fervor* conſpicitur, *in refutandis Pſeudapoſtolis, et reprehendendis Corinthiorum vitiis.* Hac in cauſa ſaepe utitur formulis, illius fervoris teſtibus. Sic de iſtis, vehementer concitatus, loquitur: *Iſtiusmodi Pſeudapoſtoli, operarii doloſi ſunt, transformati in Apoſtolos Chriſti. Neque id mirum. Ipſe enim Satanas transformatur in angelum lucis. Non magnum eſt igitur, ſi transformentur, ut miniſtri juſtitiae, ejus miniſtri, — quorum finis erit ſecundum opera eorum.*

rum (1), C. XI. 13-15. Ita, ingenii fervore agitatus, eos Satanae ministros dicit. — Idem ille fervor cernitur in C. IV. 2, 4., inque congestis continuè imaginibus et formulis, C. VI. 14, 15. aliis.

Denique *fervor* ille *in omni ejus defenſione* apparet. Nam argumenta argumentis addit, et, vix propoſito uno, alterum adjungit, oratioque ſaepe fluminis inſtar proruit. Ubi enim commovetur animus, ibi majori fervore ducitur; cujus in tertia Disputationis parte erit obſervandi locus.

Neque tamen existimes quaeſo, Paulum illo fervore prorſus abripi, et ad extrema quaeque proruere. *Totus* enim *ad amoris*, *amicitiae ac benivolentiae*, *placidumque animi ſenſum*, *erat compoſitus*, et ſumma ejus elucet amabilitas, quae ubique in oculos incurrit.

Univerſe quidem nobiles illi ſenſus, *in ſummo* cernuntur *amoris ſtudio*, quo ſe penitus imbutum docet, quod omnibus inculcare ſtudet, quodque er-

(1) μετασχηματιζόμενοι.) מתחפשׂים. *Transfigurantes ſe*. Verbo medio dicitur: *perſonam alicujus induere*, *ſimulare mores*, *ſumere ſpeciem*. cf. SCHLEUSN. *in Lex*. ad l. ὁ σατανᾶς) BENGEL in *Gnom*. II. 856. Paradiſum ſpectat. SEMLER in *Paraph*. p. 285. fabulas Judaicas ad explicationem Gen. III. et Job. I. reſpicit, itemque ROSENM. de quo cf. *Erklar. der Geſch. von Sundenfall*. 1 B. Moſ. 3. in EICHHORNII *Repert. fur Bibl. und Morgenl. Litt*. 5. V. 4. p. 158 ſqq. Cl GREVE Gnosticorum placita, MOSHEM. Orientales fabulas attendit. Verum majori probabilitate ſeſe commendat explicatio MICHAËLIS, HEUM. aliorum, qui ad Jeſum in deſerto alludi putant. Ita enim, quae de angelo lucis habentur, facile explicantur. —— διάκονοι δικαιοσύνης) *justitiae*, *quae est in Christo*. Cf. BENGEL in *Gnom*. ad l. Per Proſopopoiiam ponuntur oppoſiti τοῖς διακόνοις τοῦ σατανᾶς, et ita Christi dicuntur miniſtri.

erga omnes omnino homines manifestat. Hujus ſane ſtudii, (ut in tanta rerum copia paucis defungar) documenta adſunt in loco, C. VIII et IX., de eleemoſynis, ubi ſeſe inprimis amabilitate commendat, et amorem erga Christianos Palaestinenſes, Achaeos, Macedones, ſociosque ſuos, et erga ſe egregie conjungit.

Cernitur autem idem ille *amoris ſenſus* etiam *in ſuo erga Corinthios amore declarando.* — *Os noſtrum*, inquit, *apertum est erga vos*, *Corinthii! cor nostrum dilatatum est. Non habitatis anguste in nobis*, C. VI. 11, 12. Eorum igitur in gratiam et res proſperas, et quascunque calamitates, lubenter ferebat, C. I. 5-7., ut ipſi ſolatio fruantur et ſalventur. — Ex his profecto amicus agnoscitur integerrimus, qui fausta et infausta amicorum cauſa laete ſubeat. Imo tanta hujus amicitiae et conjunctionis vis erat, ut de iis dicat: *in cordibus noſtris estis ad ſimul moriendum et ſimul vivendum*, C. VII. 3. (1). His ipſis ad ardentisſimum amorem teſtandum, quid efficacius!

Hanc autem amicitiam conjunctionemque, et benivolum illum animum ulterius explicat, *de factis ſuis ſcribens.* Ut ſuo indulgeret erga eos amori, iter distulerat, C. I. 23., omnemque navaverat operam, qua eorum res ita ordinaret, ut amori indulgeat. Hanc tantam caritatem egregie depingit: *Et confiſus*, inquit, *de vobis omnibus*, *meum gaudi-*

(1) ἐν ταῖς καρδίαις ἐστε.) cf. VI. 12. *Ibi locum occupatis fixum.* — εἰς τὸ συναποθανεῖν καὶ συζῆν.) Intima amicitiae ſignificatio. Ita HORATIUS, *Od.* l. 3. 9. 24.

„ Tecum vivere amem, tecum obeam libens."

dium, vestrum omnium (gaudium esse); nam ex multa oppressione . . . per multas lacrymas vobis scripsi . . . ut cognoscatis caritatem, quam habeo abundantissimam erga vos, C. II. 3, 4. In his amica caritas cernitur, quae, amicorum causa, ingrata sibi lubens peragit. Porro in omni sua agendi ratione eorum unice salutem spectabat, C. XI. 2. II. 12., et summopere laetabatur, quod, a se reprehensi, sint emendati, C. VII. 9. Item paternum suum animum iis praedicat, qui omnia in eos impenderat, et tametsi Corinthiorum amor languesceret, tamen ab eo ne quidem destiterat, C. XII. 14. Contra vero ardentissimum illum monstraverat, non curans, qualis ipse ab iis haberetur, sed ut illi recte probeque se gerant, C. XIII. 7. Hoc verae amicitiae exemplar dixerim. Neque mirum adeo, Paulum hanc ad eos scripsisse Epistolam, ut laetus cum iis versaretur, et illi redderentur puri, C. XII. 20.

Porro Paulus, amici instar, *eorum facta gestaque dijudicat.* Eorum enim vitia non auget, sed saepe, ubi salva veritate fieri possit, imminuit; benefactorum causam ita semper proponens, ut illis laudi sit. — Idcirco, quae praeclara in iis occurrant, eorum laete recordatur, et scribit: *vos fide statis* (1), C. I. 24. Eos vero, ubicunque potest, excusare studet, quod in toto C. II. est conspicuum, eorum-

(1) ἑστήκατε) *statis.* Quam enim nonnulli Codd., notante Erasmo, et ex ejus auctoritate, Millio et Wetstenio, lectionem ἑστήκαμεν praebent, nullius est auctoritatis. Hanc forte ob causam eam neglexit Griesbachius.

rumque erga ipſum amorem tanti ducit, ut exinde ipſos probos esſe colligat.

Nec minus hanc Pauli mentem animadvertimus, *quando de iis coram aliis loquebatur.* Eorum enim amantisſimus, illos meliori de nota aliis commendabat, et quae egregia perpetrasſent, ſummis evehebat laudibus. Talem ſe gesſit coram Tito, C. VII. 14. et coram Macedonibus, quum de iis gloriaretur, C. IX. 2, 4.

Eandem amicitiam et caritatem iis patefecit in *annunciando Evangelio*, in quo munere fungendo, non eorum fidei ſtudebat dominari, ſed excitare gaudium et promovere, C. I. 24. Etiam in admonendo, non magistri, ſed amici perſonam gerebat. Tandem in laudando, imo increpando, ut commoda eorum promoveret, valde nitebatur, cf. inter alia, C. VIII. 13. IX., maxime, ſ. 5. X. 1. cet.

Qualem ſe Tito ceterisque *Collegis* praeberet, ex C. VII-IX. abunde patet. — Ideo enim illis utitur formulis, quibus integerimum ſuum erga eos amorem aperte declarat. Verum de his infra.

Itaque talem ſe praeſtitit erga Corinthios, idque in multorum fecit calumniis. Haec porro Epistola Paulum indicat ſummo *amore corruptos homines, ſuosque adverſarios, proſequentem.* Cap. II. Impuri istius hominis ne nomen quidem commemorat; eique, jam emendato, condonandum esſe monet, qua in cauſa eorum unice ſalutem, nequaquam ſuam laudem, ſpectare ſe ostendit, C. II. 5, 10. inpr. ſ. 7. Quam amice vero ipſos adverſarios refellat, ex ſupra dictis abunde patet. — Hactenus de Pauli amore, cum ingenii fervore conjuncta.

§. 4.

Animi alacritas, cum pari conjuncta ingenii prudentia.

Nulla fere superest Epistola, quae tot tantaque documenta offert animi alacritatis et sedulitatis, a Paulo in procuranda Relig. Christ. navatae, quam ad Corinthios altera. Hoc ex Epistolae argumento est explicandum. Totus enim in eo versatur Paulus, ut sacra Christiana ab adversariis tueatur, eaque inter Corinthios amplificet, adeoque summa ei opportunitas fuerat, qua intensissimum illud studium aperte declararet. — Verum de his haec teneantur, velim. Studiorum constantiam, in Paulo obviam, observantes, docuimus, qualem se erga Religionem gesserit, quam annunciaret; quamque in propaganda eâ firmis duceretur cogitandi agendique principiis. Quae quidem principia cum inessent viro (§. 1.), ingenii fervore insigni (§. 3.), in propaganda Rel. Chr. studium et alacritatem summam genuere. — Deinde tam arcto vinculo conjungitur in Paulo, amor et benivolentia cum alacritate et rei Christianae promovendae studio, ut illa vix, ac ne vix quidem, rite disjungi possint. Nihilominus tanta ejus alacritatis hac in Epistola est vis, ut seperatim considerari mereatur. Sed plurimis, quae ad hoc argumentum spectant, jam supra a me tractatis, in his brevis esse potero.

Paulus igitur *alacer et sedulus* in promovenda Rel. Christ. cernitur, quod *in ejus gratiam calamitates gravissimas tranquille, laete, et hilariter* sub-

ſubeat. Nulli parcit labori, nullum reformidat periculum, nullas ſubterfugit curas ac ſollicitudines, ſicubi rem Christianam augere queat. Quaecunque ſimul officia Religio ei imponit, lubenter exſequitur, et ſe ſuasque vires omnes Christo tribuit. Hujus ſe in ſecundis adverſisque rebus ſocium declarans, Jeſu ſemper mortem in corpore circumferebat, (id est: Christi cauſa, quotidie in corpore morti exponebatur,) ut etiam illa Jeſu vita in corpore manifesta fieret, C. IV. 10. (1)

Illa autem ſe exſerebat *alacritas in actionibus ita regundis, ut rei Christianae emolumento esſent.* Nam omnia ſic inſtituebat, ne vituperetur ministerium, VI. 3. coll. IV. 16. (2), et in veſania, quam ipſi imputabant Pſeudapostoli, Deo tantum placere voluit, C. XI. Propterea lubenter manuum ope vitae necesſitati conſuluit, quo magis Rel. Chriſt. promoveret, C. IV. 4. ſqq.; quin ea fuit animi alacritate, ut Religionis cauſa oblectaretur in infirmitatibus, C. XII. 10.

Maxime autem illa conſpicua est *alacritas in adhortando, monendo et edocendo.* — Quaecunque non-

(1) κυρίου.) *Domini.* Additur in textu recepto Elzeviriano. Omittitur autem in Codd. A B C D a pr. m. F G 17, 18. a pr. m. 31, 71, 80. *Ed.* Verss. *Syr. Erp. Copt. Aeth. Arm. Vulg. It. Orig. Cyr. Iren. Tert. Ambrst. ed. Aug. Hilario* (not. Wetstenio), probante Griesb. Codicum ergo auctoritate omittendum videtur.

νέκρωσιν) ſ. *mortis periculum, mortificatio.* Beza, Lang. Bengel, Grotius, cf. Pſ. LXXIX. 11. ſ. *Mors*, ut Luth. Mosh. Wolff. Prius autem ſ. 11. optime convenit, ubi haec ulterius explicat Paulus. cf. Morus *Acroaſes ſuper Hermen. N. T.* t. 1. p. 90. (2) Leg. quae ad hunc locum de Paulo monuit Cl. Pareau: *Sermon ſur le zele exemplaire de l'Apotre St. Paul dans le miniſtere de l'Evangile*; quem reperias in libro: *Sermons de* J. H. Pareau. p. 150.

nonnullorum esset conditio, ratione iis persuadere, non vi eos cogere, conatur. Nequaquam vero id agit in apologiis, ut se Paulum, praeclarum illum hominem, honore afficiant Corinthii, verum ut Evangelio fidem habeant, Deum Christumque venerentur, et se Apostolum, imbecillum hominem, sed Dei ministrum, agnoscant. — Hanc ob causam Religionis Christ. prae Mos. praestantiam tantopere evehit, C. III., eamque ita proponit, ut, nisi praejudicatis imbuti sint opinionibus, ei fidem habere debeant. Simul autem vitia ac scelera, a quibus Religionis indoles tantopere abhorret, quam maxime iis exprobravit, eorumque summam foeditatem ostendit, C. IV. VI. 14 sqq. Porro Religionis dogmata ita proposuit, ut ad hominibus persuadendum, eosque emendandos, inprimis valerent, C. IV. maxime s. 1 - 10. V., suique muneris gravitatem explicuit, C. V. 20., omnibus ita institutis, ut Dei gloriae inserviant, C. IX. 12, 13. V. 13. et passim; quorsum ejus quoque facta tendunt, C. I. 15. Hanc ob causam aliis continue admonitionibus subjicit alias, et ab adhortando, monendoque ante non desistit, quam sibi persuasum sit, se omnia, quae valeant, protulisse, C. VI., VII. Ita quidem eos exhortatur, ut, fratrum penuriae prospicientes, Dei gloriam adaugeant, C. VIII. et IX. Et eandem quoque animi alacritatem in aliis excitare studebat laudabatque. Huc spectant plurima, in Epist. obvia, quo alii eodem flagrent studio, habeantque, quod opponant adversariis. Quapropter in Tito ejusque socio σπουδὴν valde laudavit, C. VIII.

16,

16, 22. Contra eos, qui illo ardore erant destituti, inprimis notavit, C. XI. 23.

Ast vero haecce alacritas, etiamsi acerrima, ut vidimus, ita erat comparata, ut cum pari conjuncta esset *ingenii prudentia*; quae fecit, ut illa justis coerceretur terminis. Haec quidem *prudentia* potissimum valuit *ad dijudicanda hominum ingenia*, ut prorsus nosceret, qua ratione se gratum acceptumque aliis praeberet, eorumque perversis studiis caute ac sapienter occurreret. — Ita noverat Paulus, poenas nimis severe inflictas, hominum animos, nequaquam emollire, sed obdurare; quapropter peccanti, quem emendare studeret, jam condonandum monet, C. II. 5, 10. — Tanta autem sensim invaluerat hominum dijudicandorum solertia, ut nullus dubitaret, quin adversarii ad calumniam jam essent parati, aliique iis facile assentirentur; vel sic tamen Corinthios, justa cum ei causa adesset, admodum laudavit, eorumque sibi captavit benevolentiam, C. III. 1 - 11. sqq. — Probe sane noverat, quomagis iis concedere videbatur, eo se magis apud eos valiturum. Propterea ita se gessit, ut calumnias parvi ducere se ostenderet, quo ipsis foret persuasum, illa levia esse et ridicula, quae adversarii proferrent, C. XI. 1. cet.

Nec minus *in iis persuadendis prudentia et solertia Pauli* apparet. Cf. C. VIII. et IX. Quum enim ad exercendam liberalitatem eos excitare studet, Achaeos et Macedones, mutua ambitione irritatos, mutuo excitat exemplo, C. VIII. 2. IX. 2.; quin ipsis significat, quantopere jam de

iis

iis coram Macedonibus gloriatus ſit, quantaque ab iis illi exſpectent. Et jam in hac ſcribendi ratione tanta ineſt ſolertia, prudentia tanta, ut non modo ad conferenda dona excitentur Corinthii, ſed mutuo ſtudio in Evangelii ſocios ducantur, eosque monet exemplis, e Sacris Litt. petitis, efficacisſimis illis apud Judaeo-Chriſtianos. Aliis in locis, commotus animo, Ironia utitur, eosque convincere ſtudet, uti ſolertes ingeniorum exploratores ſolent, C. XI. 16. Verbo: ea eſt argumentorum ratio, ea ſcriptoris ſolertia et prudentia, quae ad perſuaſionem plurimum faciat.

Accedit, ut *delicate admodum ſuum erga eos amorem*, ſuamque amicitiam, iis *declaret*. Non tanquam ſuus ſibi conſtaret honos, ſed ut majorem vim et efficaciam in eos haberet, cujus rei exempla ſupra attuli, C. I. 3-7, 23. XI. 7. XII. 13. XIII. 9. VII. 12-16. Denique prudenter *conſilium ſuum iis declarat*, fore ſperans ut illi eo excitentur, qui ſibi obediant, ſatisfaciantque, C. II. 3.

§. 5.

Obſervationes de Pauli Indole.

Sufficiant haec de Pauli ingenii animique dotibus, hac in Epiſtola conſpicuis. Quomagis autem de ejus *indole* conſtet, haec teneantur velim.

1. Hisce inter ſe collatis, lubenter asſentimur eleganti Theologo et Philologo, Ravio, quum ſcribit: „Quod ſi Pauli vitam ſcriptaque perluſtremus,

mus, non posſumus quin miremur, in uno eodemque viro tam diverſas ſpecie tamque a ſe disjunctas et fere inter ſe pugnantes virtutes locum habuisſe, ita ut ipſe ſibi ſaepe videatur disſimillimus (1)." Hoc enim nemo unus in antegresſis non obſervavit. Itaque eo magis quaerimus, qua ratione variae illae virtutes ac ingenii animique dotes, unam, eamque Paulo propriam, conſtituant indolem. Quatenus autem Paulum *ex hac Epistola* novimus, ita de eo ſtatuamus, par est: *Inerat Paulo ingenium, quod grandia quaeque et vasta, cum facile complecteretur, tum ardenti ſtudio exſequeretur: temperabatur autem illud, et fere cohibebatur, inſigni morum lenitate.* — Ex hac enim conjunctione, mirus ille diverſarum ingenii, animique dotium, explicandus videtur concentus. In eo conſpirant et conſentiunt omnes facultates et dotes, ad unam propriamque animi formam efficiendam, et ad hunc communem quaſi fontem diverſae illae dotes et ſtudia naturae ſunt conferenda (2). Uti enim alia esſe ſolet aliorum hominum conditio, ut ingenium animi facultates, vel animum ingenii dotes ſuperent; ita fervidum illud vastumque Pauli ingenium, humanitatis et amoris ſenſibus prorſus regebatur. Hoc autem ingenii animique concentu ejus indoles continebatur.

Ad hanc autem indolem omnes illae referuntur dotes, quas ſupra in Epistola obſervavimus. E tali *ingenio*, vasto illo et grandi, certa illa firmaque principia. Hinc ille ſuae dignitatis ſenſus. Hinc ille fervor. Ita vero *animum* admiramur et diligimus modestum, pium, gratum, et fidu-

(1) S. F. J. Rau in *Orat.* l. p. 10. (2) Rau l. l. p. 6 et 10.

ducia in Deum insignem, amoris et benivolentiae sensibus imbutum. Et ex hoc *ingenii animique concentu* orta est illa in calamitatibus aliorum et Evangelii causa laete subeundis constantia, illa ingenii prudentia, illa denique alacritas in procuranda Religione Christiana (1).

2. Nos igitur Dei sapientiam non venerari non possumus, qui talem sibi Virum elegerit ad salutis nuntium, illo tempore, inprimis Corinthiis, ferendum. — Primis enim societatis Christianae temporibus vir requirebatur, qui vasta, qui grandia ingenio complecti, et ignea vi praeditus, ea exsequi posset; qui fervorem et alacritatem in omni re exsereret; qui nullum recusaret laborem, nullum timeret periculum. — At vero Christiana Religio, quae tota erat ad ἀγαπὴν composita, simul amoris et benivolentiae sensus a doctoribus excoli, aliisque inculcari, jubebat. Si vero Corinthios spectes, eorum in usum requirebatur vir, tantis ingenii animique dotibus insignis. Quid enim, si Paulus benevolo fuerat animo, sed invicto illo robore, sed ignea illa vi et alacritate fuisset destitutus, quibus se nobis commendat, et ingenio subtili quidem, at placido, invaluisset; quî in urbe, morum corruptela laborante, uti Corinthi, valuisset? Quomodo ille homines, diversis agitatos studiis, ad unum veri rectique principium adduxisset? Quomodo tam strenue se opposuisset adversariis, palam sibi calumniantibus? Quomo-

(1) Lubenter igitur NIEMEYERO assentimur, scribenti: „Alle de Apostelen zijn groot in hunne soort. Maar onder hen allen is er naauwlijks een, zoo *algemeen groot* als Paulus." l. l. p. 448.

modo tandem tot tantaque vitia delere ausus fuisset? His profecto impar fuisset Paulus. – Fac contra, eum ingenio fervido et vasto fuisse insignem, sed alienum a benivolo illo et miti animo, quo pacto varias composuisset lites, et eos ad Chr. Rel. profitendam et exserendam adduxisset, seseque a vana gloriandi liberasset specie? Hic sane ingenii animique concentus requirebatur ad condendum, instaurandum, emendandum et amplificandum coetum Corinthiacum.

3. Nec est, quod Religionis divinae vim et efficaciam in hacce indole exserenda omittamus. Nam antea jam ingenio illo suo eminebat Paulus, sed nisi illud suis coercuisset finibus, haud dubie in extrema proruisset. At vero cum sacris Christianis assensum daret, et infinita Dei bonitas sibi ejus vires et facultates dicasset, animi ejus, divino Spiritu jam instructi, dotes, quae forte ingenii culpa antea sopirent, nunc explicabantur, augebantur, et Religionis praeceptis ad Christianam illam *ἀγαπήν* accommodabantur, quae primarias in Christi doctrina tenet partes. Hinc mirus ille animi, ingeniique concentus (1).

4. Quibus ita observatis, sponte patet, quantum sit *hujus de Pauli indole disquisitionis momentum, ad Epistolam interpretandam.* Quomagis enim Paulum ex Paulo cognoscimus, eo magis elucet, eum hujus Epistolae fuisse auctorem. Nam idem hic est, qui in ceteris suis Epistolis, quemque il-

(1) Leg. Hug. *Einl.* l. II. p. 216.

illum Lucas in Apostolorum Actis laudavit, et quem illum aliunde novimus (1).

Praeterea, ſic maxime proficimus ad hanc Epiſtolam rite interpretandam. Ita nimirum non tantum verba, ſed formulas, argumentorumque rationem et nexum, ex Pauli indole interpretamur, et tenebrae diffugiunt, quae Epistolae interpreti ſeſe objiciant.

(1) Cf. Cl. v. HENGEL, Diſſ. I. P. III. C. I.

SE-

SECTIO TERTIA

DE

PAULI ORATIONE

HAC IN EPISTOLA OBSERVANDA.

Pervenimus jam ad illam Disputationis partem, in qua de Pauli oratione hac in Epistola nobis agendum est. Oratio ſane, qua hîc uſus est Paulus, aeque est varia, ac ipſum Epistolae argumentum, ipſique, quibus in ſcribendo movebatur, affectus. Neque mirum adeo, varios interpretes varie hic cogitasſe. Equidem ergo hac in ſectione ea annotabo, quae mihi de Pauli oratione obſervanda videbantur, ut bene de ejus charactere conſtet ac indole.

§. I.

Variae Virorum Doct. de Pauli oratione ſententiae.

Quo magis de hoc nostro qualicunque labore, ejusque utilitate, conſtat, eo quoque lubentius unam alteramve Virorum Doct. ſententiam ante affero, quam ad reliqua transeo.

Doct. *Gablerus*, cohaerentiae in hac Ep. ſervandae ſtrenuus vindex, de Pauli ſcribendi ratione ita judicat: „Quaecunque... ſermonis bene compoſiti

dotes, f. apta verborum collocatione, f. eleganti membrorum ftructura, f. facili unius ad alterum tranfitu, prioribus literis (ad Corinthios) fingularem fuavitatem gratiamque conciliant; eas fere omnes posterioribus his literis ita deesfe intelligimus, ut ubivis fere locorum vel ingrati *orationis hiatus*, et durae dictionum *ellipfes*, vel *troporum* male *mixtorum asperitas*, et *hebraicae* praefertim, tum fingularum dicendi formularum *conftructionis*, tum integrorum *membrorum compofitionis* frequenter aures paullo delicatiores haud leviter offendant" (1). Quae quidem fcribendi vitia, et „*horridum*" dicendi genus, Paulo fcribere festinanti tribuit. — Eadem fere ratione de dictione judicat Doct. *Klotfchius*, cujus judicium fuis verbis apponere liceat. „ So hatte... beym zweyten brief an die Corinther auf den darinn herrfchenden minder guten ftyl, auf manche *hiatus*, auf das ordnungslofe umherirren des Apostels von einen gegenftande zum andern, auf die rauhere, unangenehmere, und hebraisch-artige kompofition, wahrfcheinlich eine folge der eilfertigkeit, womit diefer brief abgefast wurde, als auf etwas characteristifches hingewiefen werden follen" (2). Neque multum ab his differunt, quae monuit *Leunius* (3).

Bauerus autem, inftituta Pauli epistolarum comparatione, „ laetiorem, ait, huic Epistolae con-

(1) Cf. Gabler. *Dif.* I. praef. p. V et VI. (2) Hanc Klotschii (*Handbuch der Kritifchen Gefchichte des Neuen T. Witt.* 1795.) fententiam novi ex Eichhornio *Allg. Bibliothek der Bibl. Litt.* 7e B. 1e ft. p. 89. (3) *Pauli ad Cor. Epift. II. Graece. Perpetua annot. illuftrata a* J. G. F. Leun. *Lemgov.* 1804. in praef.

constare formam, ab initio, id est: a C. I. ad IX. gestientem plane laetitia et superfundentem se; acriorem deinde quin mordaciorem a C. X. ad XIII., neque ironiae parcentem, nec charientismo, tanquam Attico sali" (1). — *Vlotenius* hac in Ep. suavem dicendi rationem ubique fere animadvertit, Paulumque, ubi increpantis susceperit partes, satiricum dicit. Dein vero, uberius de ea agens, contrariam fere Gablero sententiam adfert. Dictionem plerumque congruam dicit prioris Epistolae ad Cor. orationi, paucioribus tamen intermixtis imaginibus, a Judaeorum moribus institutisque repetitis; imo quam bene Graecam in priori Epistola observaverat dictionem, eandem hic reperit (2). — Hisce plurimum congruunt *Starkii* (3) et *Klinkenbergii* opiniones, quorum posterior addit: „ Ook ontmoet men hier dezelfde kracht van zeggen en bondigheid in den redeneertrant (als in den vorigen brief), als mede het bijzondere van des Apostels schrijfstrant, dat hij meermalen, uit hoofde der groote levendigheid van zijnen geest, uitstappen doet, welke noch de duidelijkheid, noch de orde van zijn voorstel benadeelen" (4). — Denique *Greevius* in his literis aequabiliorem et vividiorem dictionem, quam in prioribus literis animadvertit, et orationis, quod ajunt, flumen. Priorem Epist. partem sublimiorem, fervidiorem dicit alteram (5). In

(1) BAUER *Rhet. Paul.* l. t. 3. p. 791. (2) V. VLOTEN *de Bijbel* D. XI. bl. 545. D. XII. *Inl. op de II brieven aan de Cor.* bl. 66. (3) STARCKE et HENRY in *Opere Biblico.* ad l. p. 9. (4) KLINKENBERG *de Bijbel.* D. XXIII. p. 10. (5) GREEVE l. l. III bl. 32, 33. Leg. WITSIUS *de Vita Pauli* l. p. 221. §. 3.

In tanto itaque V. V. D. D. disſenſu, non ſingulas eorum ſententias cenſebimus, ſed potius ipſi *obſervare* conabimur, qualis ſit hac in Epiſt. oratio. Sit benevolo Lectori judicium.

§. 2.

Orationis Elegantia.

Primum in his literis *Elegantiam orationis* Paulinae celebramus. At, dicat aliquis: Tune elegantiam Paulo propriam dicis, cujus oratio Barbarismis, Soloecismis, cett. est referta? Tune in hac Epiſt. elegantiam obſervare tibi videris, cujus ſqualida a multis habetur ſcriptio? Audio; at, quod reponam, habeo; elegantiam enim dico, non grammaticam, ſed oratoriam ſ. rhetoricam, diſtinguente Bauero (1); et num ſqualida ſit dicenda Pauli oratio, de eo est, quod disputemus. Ad elegantiam vero grammaticam linguae puritas pertinet. Hanc quidem Paulo nequaquam hic tribuimus, ſed omnino perſpicuitatem et venustatem, quas ad oratoriam elegantiam vulgo referunt (2).

1. *Perſpicuam* dicere hujus Epistolae orationem, non veremur. Et huc quidem ante omnia retulerim *ſimplicitatem* ſ. *popularitatem* (3). — Illa autem ſe

(1) BAUER *Rhet.* l. r. 3. p. 271. Leg. SCHELLERI *Praecepta ſtyli bene Latini*, *in Prooem.* p. 9. et P. I. c. 2. ſ. 4-6. (2) Cf. ERNESTI *Initia Rhet.* p. II. c. I. De epistolarum elegantia, non est quod ſingulatim moneam, post laborem Ven. WILDSCHUT *Spec. de Ii dictionis et ſermonis Elegantia in Epiſt. Pauli ad Philem. conſpicuis*, Traj. 1807. p. 73 ſqq. (3) Quae enim ſaepe a perſpicuitate ſeparatur ſimplicitas, jure hac in cauſa cum ea conjungitur. De utraque

ſe prodit *in loquendi genere*, quo uſus est Paulus, *Hebraeo - Graeco.* Quodſi enim dictionem bene Graecam adhibuiſſet Apostolus, (num potuiſſet, hic non disputamus) popularitati, quam dicunt, non conſuluiſſet. Nam Judaeo - Christiani ab ea abhorrebant, et Ethnico - Christiani Religionem hanc habuiſſent humanae ſapientiae opus, quod verborum ornatu, uti philoſophorum illius temporis placita, iis commendaretur (1). E contrario autem eos in his literis edocet, doctrinae Christianae non eandem eſſe rationem, ac philoſophiae decretorum, quae varie a variis proponi poſſent. — Ab altera autem parte in eo popularitas cernitur, quod Hebraico illo orationis habitu, qui in multis Epistolarum ad Romanos, Gal. et Hebr. locis conſpicitur, hic non adeo uſus fuerit, verum omnia magis accommodaverit Christianis Corinthiacis. Verbis enim et formulis utitur iis, quae in quotidiano vitae uſu verſantur; quod maxime ad popularitatem retulit Ernestus (2).

Praecipuum autem ſimplicitatis argumentum nobis praesto est *in ſimplici et haud fucata narrandi ratione.* — Quippe itineris ſui propoſitum hisce verbis deſcribit: *ταύτῃ τῇ πεποιθήσει ἐβουλόμην πρὸς ὑμᾶς ἐλθεῖν πρότερον, ... καὶ δι' ὑμῶν διελθεῖν εἰς μακεδονίαν.* C. I. 15, 16. Turbatum quoque animum ſimplici dictione depingit: *ἐλθὼν δὲ εἰς τὴν*

que ſcribendi dote praeter alios conſulas BAUER. l. l. p. 2. p. 273. — Ven. STRONCK. *De doctr. et dict. Joh. ad Jeſu doctr. dictionemque exacte comp.* p. 207 et 218 et DONCKER CURTIUM l. l. p. 136, 141.

(1) Cf. BAUER l. l. II. p. 271. et VAN LENNEP. *de altitudine Dict. N. T.* inſerta LENNEPII *Prael. de Analogia Ling. Graec. Ed. alt. Traj.* 1805 p. 555. (2) ERNESTI l. l. p. 152.

τὴν τρωάδα . . . καὶ θύρας μοὶ ἀνεῳγμένης ἐν κυρίῳ, οὐκ ἔσχηκα ἄνεσιν τῷ πνεύματί μου, τῷ μὴ εὑρεῖν τίτον τὸν ἀδελφόν μου. Ἀλλὰ ἀποταξάμενος αὐτοῖς, ἐξῆλθον εἰς μακεδονίαν. C. II. 12, 13., et alibi: *καὶ ἐλθόντων ἡμῶν εἰς μακεδονίαν οὐδεμίαν ἔσχηκεν ἄνεσιν ἡ σὰρξ ἡμῶν... ἔξωθεν μάχαι, ἔσωθεν φόβοι.* C. VII. 5. Quibuscum conff. quae de fatis suis narrat, C. VI. 3. sqq. XI. 24. sqq. Neque omittantur ea, quae C. XI. 32. perquam simpliciter et native scribit: *Ἐν Δαμασκῷ ὁ ἐθνάρχης Ἀρέτα τοῦ βασιλέως ἐφρούρει τὴν δαμασκηνῶν πόλιν, πιάσαι με θέλων. Καὶ διὰ θυρίδος ἐν σαργάνῃ ἐχαλάσθην διὰ τοῦ τείχους, καὶ ἐξέφυγον τὰς χεῖρας αὐτου.* Imo, divinitus ei datam patefactionem describens, ait: *ὅτι ἡρπάγη εἰς τὸν παράδεισον, καὶ ἤκουσεν ἄῤῥητα ῥήματα, ἃ οὐκ ἐξὸν ἀνθρώπῳ λαλῆσαι,* C. XII. 4.

Huic autem simplicitati affinis est *scribendi et narrandi ratio, sine ullis ambagibus.* In Epistolae initio statim jam ad illud pergit, in quo primarium Epistolae consilium cernitur; id est, ad sui ipsius defensionem, C. I. 17. Ubique aperte Corinthiorum vitia perstringit, suam agendi rationem sine fuco verbis declarat, et Pseudapostolos palam apud Corinthios arguit. Si vero in scribendo ambages animadvertimus, v. c. C. XII. 1. sqq., illae simplicitati et perspicuitati haud obsunt, sed eo valent, ut nobis Pauli affectus reddant perspicuos (1). Fateor equidem orationem saepe ejusmodi esse, ut non in formam periodi redigatur, sed ut una sententia al-

(1) Cf. supra pag. 82.

alteri ſit ſuperaddita, quod bene monuit Morus (2); unde ſit, ut quaedam minus videantur perſpicua: Verum hoc in Paulo, vehementer concitato, aliter ſieri non poterat.

Huc quoque retulerim illam ſtyli proprietatem, qua *Religionis dogmata et praecepta moralia*, perſpicue et ſaepe ſimpliciter tradit. Exemplo ſint illa, quae occurrunt, in comparata ſecum Religione Moſaica et Christiana; de quibus teneatur, illa id temporis inprimis fuisſe perſpicua, cum Corinthi adesſent doctores, qui Moſaica inſtituta cum doctrina Christiana conjungere ſtuderent, C. III. In iis enim Paulus ſummam hujus δοξαν, ſ. 8., ſalutares effectus, ſ. 9., perpetuitatem Evangelii, ſ. 11., vim ejus ad illustrandas hominum mentes, ſ. 16., ſimplicem et nativam indolem, ſ. 15., cet. clare et distincte edocet. Huc pertinet doctrina de judicio extremo, C. V. 10. cet. — Et uti ipſe Christus facere ſolebat, ita Paulus morum praecepta ſaepe arctisſime cum Religionis capitibus conjungit, quo magis eorum vim perſentiant Christiani. Hoc in loco laud., C. V. 11. et alibi obtinet.

His autem omnino addenda est *perſpicuitas in Troporum et Figurarum uſu.* In Epist. quidem ad Hebr. aliisque, ut plurimum imaginibus utitur a rebus Judaeorum, eorumque cultu, deſumtis. Verum hic eas uſurpat, quae Corinthiis maxime innotuerunt. Has vero ſaepisſime a *naturae objectis*, vel *e communi vita deſumſit;* ſcilicet a *judicio*, C. I. 9.

a

(1) Cf. Morus (S. F. N.) *ad locum Pauli* 2 Cor. X. 12-17. in *Diſſ. Theol. et Philol.* p. 102.

a janua, C. II. 12. *ostium mihi apertum fuit per Dominum;* usitata illa sacris et profanis scriptoribus (1); a *sole: Deus splenduit* (ἔλαμψε) *in cordibus nostris;* quo magis salutarem Religionis vim perciperent, IV. 6.; a *divitiis*, quarum tanta Corinthi vis erat: *Habemus hunc thesaurum*, C. IV. 7. et: *multos ditantes* (*sumus*), C. VI. 10.; a *tentorio* et *veste*, C. V. 1.; ab *animalibus jugo submissis*, *sed imparibus illis: μὴ γίνεσθε ἑτεροζυγοῦντες ἀπίστοις* (2) VI. 14.; et a *milite armato*, qui moenia hostesque devincit, C. X. 4. — Sed eas quoque adhibuit, quas Corinthiis magis proprias dicere ausim, easque desumtas, vel *a ludis Isthmicis*, C. X. 13-16. (3), vel *a triumphis Romanorum*, C. II. 14-16. (4), quae imago Corinthiis, Romanorum jugo submissis, quin plurimis Romanorum colonis, haud fuit obscura. Et quaenam quaeso imago clarior esse potuit, quam quae occurrit, C. III. 2. *Epistola nostra vos estis;* cujus vim percipiebant ex auctori

(1) Cf. SCHLEUSNER. *in Lex.* ad l. (2) Cf. BAUER. *Rhet.* l. p. 3. p. 405. (3) Loquitur de κανόνι. Repetiit illud, interprete BAUERO, III. p. 404. „e certamine ludorum, ubi sua cursorum (meta) cuique describeretur, intra quam juxta alios decurreret." (4) Hoc in loco BAUERO l. l. III. 459, non videtur concedendum, Paulum ab imagine belli ad unguenti imaginem transiisse; eumque ita metaphoras confudisse; quod antea jam monuerat CHRYSOSTOMUS *Homilia. Ed. Montefalconii* t. X. p. 466. scribens: καὶ ἑτέρᾳ πάλιν κέχρηται μεταφορᾷ, τῇ τῆς εὐωδίας, καθάπερ γὰρ μύρον βαστάζοντες, οὕτω πᾶσίν ἐσμεν κατάδηλοι, φησί; eique adstipulatur KRAUSE ad l. Neque Ill. GROTIO assentiendum est, qui unguentum, quo summus sacerdos ungueretur, respicit; sed potius cum KLINKENBERGIO et HAMELSVELDIO Romanorum triumphos spectamus, in quibus aromata adolebantur, mortifera quidem devictis, qui peracto triumpho interficiebantur; contra vivifera laetaque iis, qui cum victore triumphum agerent.

ritate, quam, epistolarum commendatitiarum ope, Corinthi ſibi acquirere conabantur Pſeudapostoli. — Denique *exempla et imagines e Libris Moſ.*, *vel Moſ. cultu* petiit; quae unicuique, vel a limine Christianam Rel. ſalutanti, erant nota, multumque omnino differebant ab iis, quae, Judaeo-Christianis unice accommodata, in Epist. ad Hebr. praesto ſunt. Ita e. g. ad Evam, ſerpente deceptam, alludit, C. XI. 3., et imagine utitur velaminis, C. III. 13-14., quo inter legis recitationem capita tegere conſueverant (1).

Perſpicua inprimis est Pauli oratio iis in locis, quibus res explicatur *antitheſium* ope. Inſtar omnium ſint Cap. III. oppoſitae ſibi invicem Religio Moſaica et Christiana. Et C. VI. 14. *Quod enim conſortium justitiae et injustitiae? quae communio lucis cum tenebris? quae concordia Christo cum Belial?* Hisce enim uberius explicat, quam indignum iis ſit *impari jugo copulari cum infidelibus.* — Huc quoque referas eam Pauli conſuetudinem, qua *rem* primum *interrogando proponit*, dein ulterius perſequitur; cui inprimis inest orationis elegantia. Hujus conſuetudinis exempla adſunt, C. III. 1. I. 17. VI. 14 ſqq. XI. 7. XII. 17. — Huc frequens particulae γὰρ uſus inſervit, qua dicti cujusdam cauſam reddere ſolet, C. I. 12. II. 4, 9. IV. 11, 15, 17, 18. X. 12, 14. XI. 2, 19, 20. XIII. 8, 9. alia.

Neque in Epistolae perſpicuitate omittenda est ejus

(1) Cf. SEMLER. in *Paraphr.* ad l. MICHAELIS *Inl.* l. II. D. 1e ſt. p. 477.

proprietas, qua fit, ut pauciores, faltem breviores, ei infint *Parenthefes*. — Receptus textus eas admifit in locis, C. I. 20. V. 7. VIII. 3. IX. 4. X. 4. XI. 21, 23. XII. 2, 3.; aliasque iis adjunxit, (haud asfentiente Griesbachio) C. VIII. 19. IX. 3, 9, 10. (probante h. l. Bauero) (1). Griesbachius vero earum numerum auxit, neque tamen eodem femper jure, ut opinor. Admittit eas. C. I. 7, 12, 19. III. 14-17. laudante Hugio. (2) VI. 2. 13. VIII. 7, 9. X. 14. XI. 9, 24-26. XIII. 2-3. In his autem illae vix parenthefes haberi merentur, quae unico verbo, aut formula una conftant, et fcribendi ordinem non disjungunt, fed nativam dictionis rationem indicant, e. g. C. I. 19. VI. 13. *ὡς τέκνοις λέγω.* C. VIII. 3. *μαρτυρῶ.* C. IX. 4. *ἵνα μὴ λέγωμεν ὑμεῖς.* C. XI. 21, 23. XII. 2, 3. XIII. 2. — In ceteris vero locis parenthefes perpaucae orationis feriem plane interrumpunt, pro uti id fit ad Rom. II. 13. fqq. V. 13-18. XIII. 8-10. XV. 4-7. (3), aliisque in Epistolis; quanquam de his quoque varia est interpretum fententia.

Ad hanc porro perfpicuitatem referenda est *verborum formularumque proprietas*, quae infignis est hac in Epiftola. — Huc pertinent allata jam troporum et figurarum exempla, quae priva et propria funt in his literis. — Accedit praeterea ufus vocabulorum, quae maxime funt idonea ad rem, de qua agit fcriptor, penitus percipiendam et luculenter depingendam. Ita Paulus egregie omnino fcribit: *ἐκ... πολλῆς θλίψεως καὶ συνοχῆς καρδίας*

(1) Bauer l. l. p. 281. (2) Hug. *Einl.* II. p. 218.
(3) Uti vult Bauer l. l. p. 279.

δίας ἔγραψα ὑμῖν διὰ πολλῶν δακρύων, C. II. 4.; quibus ſane rem oculis ſubjicit. Adjungantur denique, ſ. 14. C. IV. 8. V. 7, 11. VII. 5. alia. — Et quantum ad proprietatem valeat nativus Epithetorum uſus, frequenter obvius, nemo non intelligit.

His denique perſpicuitatis argumentis addiderim *copiam* et *varietatem*, quae, ut bene monuit Ven. Wildſchut (1), *cum pari conjuncta brevitate* .... natura ſua citius ad animum penetrat; inprimis ſi paucis duntaxat verbis multa accumulentur. Hanc autem ipſam ſcribendi dotem nemo unus in his literis non admiratur. — Breves istiusmodi formulas reperias, Cap. IV. 8. Ἐν παντὶ θλιβόμενοι, κ. τ. λ. ſ. 18. τὰ γὰρ βλεπόμενα, πρόσκαιρα. C. VI. 5. ἐν πληγαῖς, cet. C. XI. 22. Ἑβραῖοί εἰσι; κἀγώ. κ. τ. λ. et ſic porro. Praecipue vero illas quaeras in Capp. XI. et XIII.

Nec est, quod multis comprobem brevitatem illam cum pari hîc conjunctam esſe copia et varietate; ſingulis enim laud. locis illa regnat; cf. etiam C. IV. 6, 11. XI. cet. Eam autem inſuper obſervamus, ubi Paulus varia cumulat argumenta. Ita C. IV. 7-12. III. et quae inſtar omnium ſint, C. VIII. et IX. Tantam enim ibi profert copiam, argumentorumque varietatem, quibus eos ad exercendam liberalitatem excitat, ut Corinthii ei reſiſtere nequeant. Neque illa omittenda copia est, quae ex antitheſibus, C. VI. 7-10. IX. 6.; ex interrogationibus, C. II. 2. III. 1.; ex vocis: πᾶς uſu, C. I. 4. V. 15., et ex ulteriori explicatione re-

(1) Wildschut *Spec.* I. p. 81.

rerum pronuntiatarum, oriatur C. VII. 2, 3. VIII. 2. coll. 3, 4. II. 2. VIII. 7. aliaque.

Sufficiant haec de perſpicuitate. Si autem quis roget: quid illa conferat ad elegantiam? Teneat ille, quod ſimplex, uti recte veri ſigillum dicitur, eodem jure pulchri et elegantis habetur criterium. Nulla autem est elegantia ſine perſpicuitate. — Quodſi vero nobis loca nonnulla ambigua et obſcura videantur, haud mirandum ſane foret. Tractantur enim a Paulo res plurimae, quas locis temporibusque adſtrictas dicunt, nobisque, post tot ſeculorum decurſum viventibus, fere incognitas. Ne igitur illa obſcuritas vitio vertatur Paulo, illa ſcribenti, quae iis, ad quos daretur Epistola, ſatis erant cognita.

2. Venio jam ad alteram, eamque praecipuam elegantiae virtutem, quam *Venustatem* dicunt. Ne tamen quis Demosthenis vel Ciceronis elegantiam cogitet. Jam diu enim monuit Erasmus (1), primam eſſe eloquentiae partem, ſermonem rebus accommodare. „ Si qua enim est in ſcriptoribus N. T. elegantia haec est, quae nulla arte conſtat, ſed ex ipſius animi ſimplicitate et magnitudine naſcitur, et quo minus ſtudioſe quaeſita est, eo certius, graviusque audientium animos afficit" (2). Quapropter ornatum, e verborum delectu ortum, hic non adeo curamus; ſed illum attendimus, qui proficiscitur e dictionibus formulisque, quas dein tropos et figuras dixerunt Rhetorici; quarum nonnullas, in

(1) Erasm. *Operum*, T. VI. p. 734. (2) Tittman, *de Scriptorum N. T. diligentia Gramm. recte aestimanda*, *Leipz.* 1813.

in hacce Epistola obvias, enumerabo, ut magis constet, quid revera Epistola contineat, quod jure ad elegantiam referatur (1).

Compendium quidem Rhetorices sacr. praebuerunt alii. Malim igitur per Epistolam vagando, hic illuc nonnulla annotare.

Paulus, C. I. 9., in eo erat, ut atrocem commemoret (2), quam subierat, calamitatem, cujus ut summam vehementiam exprimat, eleganter scribit: *Ipsi in nobismet ipsis decretum mortis habuimus*; quod elegantius sane dicitur, quam si scripsisset: in vitae discrimen adducto, de morte certo mihi erat persuasum. — Item sua et Christianorum beneficia memorans, C. I. 21, 22. allegoriam usurpat, a solemnibus Regum initiationibus desumtam; eamque non ante mittit, quam totam illam suae causae accommodaverit. In voce autem *arrhabona Spiritus*, anthropopathicam dicendi rationem jam observavit Glassius. (3) — Ne nunc afferam felicem Troade Evangelii successum, apertae januae assimilatum, C. II. 14.; attendas quaeso, quam eleganter scribat: *Facit (Deus), ut semper triumphemus* (4) *cum Chri-*

(1) Cf. Hug. *Einl.* l. II. p. 218. (2) Cf. Grot. ad l. et Haselaar l. l. p. 109. (3) Glassius *Rhetor.* S. edit. Dathii L. II. T. I. c. 7. 979, 980. (4) θριαμβεύειν). Duplici via hanc vocem explicant: s. notione in Hiphil: *triumphare facio*, s. *in triumphum duco.* Illud Beza, Grot. Glass. Luth. Schleusn. et recentiores bene multi. Hoc Wolf. Wits. alii, inprimis Krause (*Progr.* III. p 5) qui ait „ significatione Hiphilica non nisi cautione quadam adhibita utendum esse; nisi aut certa in promtu sint ex aliis locis exempla," (quae sane in N. T. desunt; nam *Coll.* 2. 15., *triumphandi* notio usurpatur) „ aut aliter res expediri nequeat, atque ipsa totius loci sententia id postulet." Jam vero (sit V. D. venia dictum) totius loci sententia eam notio-

Christo, et odorem notitiae suae manifestat omni in loco, cet. Hic sibi sistit Christum triumphantem, Deoque gratias refert, quod cum Christo vincere et triumphare sibi liceat. Sicuti autem victori in triumpho ministri aderant, aromata ei offerentes, eique adolentes; ita se sociosque suos repraesentat tales, qui victori odores ubique spargerent, i. e. qui divino beneficio laetum illum nuntium ubique manifestarent. Verum valde commotus, „ metaphora paullo inflexa, *se gratum Deo odorem* pronuntiat" (1).

Multiplici autem elegantia ille commendatur locus, qui inde a C. III. 1. — V. 10. decurrere nonnullis (2) videtur. Nascitur illa ex egregia allegoria, C. III. 2. *vos estis Epistola nostra, scripta illa in pectore nostro* (3); quae verba sponte Paulo oborta videntur ex his: *num et nos indigemus epistola commendatitia?*— Nascitur quoque elegantia e continuis antithesibus, quae in ipsa hac allegoria adsunt: *scripta illa, non atramento, sed Spiritu Dei vivi; non tabulis lapideis inscripta, sed tabulis carneis cordis*, cet.; e paranomasia in vocibus

γι-

tionem postulare mihi videtur, qua admissa omnia cohaerent. Macedoniae enim recordatus, animo repetit, quaecunque laeta ei hic contigerant, et a Romanorum triumphis imaginem sumit. Et ita notione in Hiphil admissa (quod quo jure fiat, cf. SCHLEUSNER ad l.) omnia uno tenore profluunt, f. 14-16 Nec enim in triumpho *victi* thura victori adolent, sed *ministri*. Quapropter haec explicatio simplicior videtur, quam si vertamus: *in triumphum ducere*, qua mira exsistit metaphorarum permutatio. *ἐν*) *cum*, cf. Marc. I. 23. Luc. XIV. 31. Leg. KLINKENB. ad l.

(1) KRAUSE ad l. (2) HAMELSVELDIO, aliis. (3) Quam enim Cod. 17. et Verss. *Aeth. Slav.*, ali, praebent lectionem *ὑμῶν*, *vestro*, nullam mereri fidem satis liquet. cf. GRIESB. ad l.

γινωσκομένη et *ἀναγινωσκομένη* (*cognita et lecta*); e correctione (quam *ἐπανόρθωσιν* vocant). ſ. 3.; ne enim invidiâ ducti adverſarii dicerent, Paulum ſibi gloriam captare, Apost. ait: *vos estis Epistola Christi*, *ſubministrata a nobis* (1). — Si vero cui durior videatur imago, ab Epistola deſumta, attendat velim, illam Orientalibus, qualis fuit Paulus, nequaquam duram fuisſe. — Porro illa elegantia nascitur ex antitheſibus, quae inde a ſ. 6-11. loco ſupra all. adſunt, quibus multa paucis complectitur; tandem ex gradatione, ſ. 17 et 18., ceterisque orationis luminibus, quae ſingulatim recenſere longum ſit.

Est autem obſervandum, Paulum, quo magis commovetur animo, eo elegantiori et magis figurata uti oratione; quod indicium est, quam naturalis ſit illa Paulo elegantia. Hujus rei exemplum praebeat locus, C. IV. 2-4. Locutus nimirum de velamine, quo coram Israëlitis Moſis facies tegebatur, ab illo imaginem petit ad ſignificandam animi duritiem; atque eorum corda adhucdum velamine tecta dicit. Haec autem metaphora apta, nativa, et elegans est habenda. Verum in eadem pergit figura, Cap. IV. Surgit continue oratio. Illi enim non tantum velamine teguntur, ſed obcoecantur ipſi, adeo ut coruscantem Evangelii lucem percipere nequeant. Dein metaphoram paululum inflectit. In toto quidem hoc loco ei ob oculos fuit Evangelii ſplendor, cui tenebras opponit, quae eos obſi-

(1) Senſum loci egregie expresſit Chrysostomus: *ὡς ἂν εἰ ἔλεγεν, ἡ σύστασις ἡμῶν πρὸς ἑτέρους ὑμεῖς ἐστε· καὶ γὰρ ἔχομεν ἡμᾶς ἐν τῇ καρδίᾳ διηνεκῶς, καὶ πρὸς ἅπαντας τὰ ὑμέτερα ἀνακηρύττομεν κατορθώματα*. *Ed. Montef.* T. X. p. 474.

ſident, qui illam lucem haud curant, imo negligunt. Hinc formulas et imagines petit, ſenſim ſenſimque mutatas pro vario argumento. Quod obſervasſe ſufficiat inde a C. III. 6 — IV. 6. Habet ibi Evangelium ſolis inſtar, qui mentes illuſtrat, ſ. 4., Satanas vero homines coecutientes reddit, cujus miniſtri falſi erant doctores, humana ſapientia veram Evangelii indolem, et vim ejus divinam in humanas mentes obſuscantes. Sed non ita Apostoli agebant, qui ſeſe Christi habebant ſervos, et vera illustrabant mentes notitia. — Pergit autem in hoc argumento, ſ. 7-9., dicens: *at nos habemus hunc theſaurum in testaceis vasculis* (*reconditum*). Eleganter ſane hoc a Paulo dictum puto, ut muneris ſui praeſtantiam corporis imbecillitati opponat. Quod ulterius ut probet, antithetorum ornatu elegantiam auget, inprimis ubi illa jungantur cum imagine, a ludis Isthmicis deſumta; in quibus est tenendum Paulum, et currentium in ſtadio et athletarum, qui ſimul in ludis aderant, rationem habere: *Presſi ſumus*, *non oppresſi. Anxii*, *non desperantes. Inſequuntur nos* (alii curſores), *at non relicti* (ſumus ab iis, quibuscum adhuc curſum inſtituimus.) *Dejicimur* (in ſtadio), *at non perimus* (ſurgimus continuo, et certamen renovamus.) — Antithetis enim ſummam addit orationi vim iisque repititis utitur. Ita C. IV. 16 — V. 3. Opponit enim terrestrem et coelestem Christianorum conditionem. In his autem plerumque tropica et figurata utitur oratione, ſect. 16-18., et unumquodque vocabulum, ac unaquaeque formula oppoſitam ſibi habet formulam, oppoſitumque vocabulum, quod inprimis obtinet, C.

IV.

IV. 17., ubi nulla adſunt vocabula, niſi quae antitheſi conſtituendae inſerviant. C. V. corpus in utraque illa conditione domicilio aſſimulatur, cui inhabitat (1); varia autem domus adjuncta pro varia corporis conditione recenſet. Verum commotus animo, novam ſuperiori adjungit metaphoram a veſtimento, quo induebatur, deſumtam; quam antea jam uſurpaverat, 1 Cor. XV. Has quidem metaphoras male mixtas asperasque dicant alii, qui artis regulas naturae obtrudere ſtudent; nos diſertam in his orationem invenire nobis videmur, et binas has metaphoras, inter ſe mixtas, aptisſimas esſe ad Pauli mentem in re tam obscura ſignificandam, et ingenii fertilitatem (ut inter Orientales, cf. Mal. IV. 2.) probare posſe, contendimus. Nam hoc

(1) De vexato hoc loco illa tantum monebo, quae mei ſunt conſilii. — Paulum quidem de *corpore* terreſtri et coeleſti agere, jure colligi mihi videtur ex iis tentorii adjunctis, quae hic afferuntur; ex *vestis* imagine; et maxime ex convenientia inter hunc locum, et 1 Cor. XV. 53. ſqq. cujus loci verba Apoſtolus ob oculos habuisſe videtur. Eadem enim ibi reperitur metaphora *vestis*, quam exuimus. *Oportet*, ait, *hoc corruptioni obnoxium induere incorruptum*, cet. quibus addit: *tunc fiet illud, quod ſcriptum est: abſorpta est mors ad victoriam*; quo reſpexisſe videtur ſcribens: *ut abſorbeatur mortale*, ſ. 4. Forte tamen non anxie diſputavit, utrum illa ſtatim poſt mortem indueretur, cum ſcriptores S. ea, quae poſt mortem fiunt, tametſi intervallo ſatis amplo disjuncta, ſaepius cum morte copulaverint. Ceterum, cf. *Interpretes* ad l. Cl. Muntinghe, *Geſch. der Menschh. naar den Bijbel*, D. X. bl. 51, aanm. Ven. v. d. Willigen, *over den ſtaat der zielen na den dood*, in de *Nieuwe Verh. van het Haagsch Genootſch.* 1811 bl. 42. ſqq. — Quae autem de hoc loco monuit Ven. Emmerling in *Progr.* (cf. Berthold *Krit. Journal der Neueste Theol. Litt.* 1816. 5e *B.* 3e *ſt.*) mihi nondum innotuerunt — καταλυθῇ) καταλύειν τὰς σκηνὰς: *detendere tentoria*, apud Polybium, allatum vide a Raphelio *Annot. in N. T.* T. II. p. 380.

hoc nobis maximo est indicio, Paulum non ſollicite quaeſivisſe imagines, ſed illas ei inſerviisſe ad mentis cogitata eo ſignificantius cum aliis communicanda.

Eandem autem ingenii fertilitatem comprobat Pauli mos, quo metaphorâ, ſemel adhibitâ, uti pergat, idque in variis formis vario modo faciat; quo orationis elegantiam auget, et eo continue revertitur. Ita ſ. 6., *ſcientes*, ait, *quod advenae in corpore*, (dum in illo domicilio habitamus), *peregre abſumus a Domino*, (a quo illud distat, cum oppoſitum ſit ei, quod ex Deo est, et in coelis collocatum). In omni quidem hoc loco interiorem hominem, mentem ſanctam, respicit, quae in corpore habitat, et cujus domicilium post mortem mutatum foret. De his hactenus.

In initio alterius loci (quem dicunt), a C. V. 11.— VII. 16., in quo eos monet, ut doctrinae ſuae praeceptis obediant, ſ. 11-21., non adeo elegantia, quam gravitate ſeſe commendat; quippe ibi dogmaticum fere tractat argumentum. Sed dein ſaepius antithetorum uſu delectatur, quo native magis ſeſe ejus animo offerrent, et quo ſimplicior in iis inveniatur elegantia. Exemplo ſint, C. VI. 8, 9., quibus verba ſibi opponuntur aptisſima. — Praecipue vero, Cap. VI. tropi figuraeque, ſeſe excipientes, ſibi invicem ſuccedunt. — Ita, ſ. 4-10., ea recenſet, quae miniſterii cauſa lubenter tulerat, et aliorum ignominiae ſuam opponit conditionem. „Quo loco, haud ſcio ſane, an invenias quidquam apud ullum oratorem vigentius aut rerum copia, aut partium explicatione, aut antithetorum frequentatione atque

acu-

acumine, cum tanta ſimplicitate ex vero" (1). Sic autem pergit, ut allegoriâ utatur, C. VI. 11-13., qua intimos animi ſui ſenſus in Corinthios effuſos declarat, eosdemque ab iis in ſui gratiam exposcit (2). Quibus vix communicatis, ad eos admonendos metaphoram addit, eo elegantiorem, quo magis rei foeditatem exprimat: *Ne fiatis altero jugo copulati cum impiis*, jumentorum inſtar, quae, etſi imparia, eidem jugo ſubſunt, et illud in diverſa raptant. Metaphoram denuo excipiunt antitheſes, in quibus orationis κλίμαξ obſervetur, qua ad culmen adducta, ſubito orationem convertit ad ipſos et, *Vos*, ait, *estis templum Dei.* Neque hoc in loco negligatur velim verborum variorum delectus, μετοχὴ, κοινωνία, συμφώνησις, μερὶς, συγκατάθεσις, quae longe ornatius dicuntur, quam ſi repetantur eaedem voces.

Ne vero plura in Cap. VII. commemorem, attendamus orationis gradationem, ſ. 6 et 7. Licet enim eorundem vocabulorum repetitio, ex animo commoto orta, durior videatur; in iis tamen, quae pulchra ſunt, haud praetermittenda videntur. *Conſolatus*, ait, *est nos Deus adventu Titi; non ſolum autem adventu illius, ſed etiam conſolatione, quam ille accepit ex vobis, quum renuntiaret nobis vestrum deſiderium, vestrum ejulatum, vestrum pro me zelum*, cett. Profecto hic ad finem usque ſurgit oratio. Aliam autem adjungit gradationem ſ. 9., item aliam, ſ. 11. — Metonymiam quoque ne negligamus, quam eleganter habet Paulus: *vos in cor-*

(1) Bauer l. l. II. p. 106. Leg. Haselaar l. l. p. 113.
(2) Glassius l. l. *Ed. Dathii* II. p. 1199.

cordibus nostris estis, ad ſimul moriendum, et ſimul vivendum. ſ. 3. „ Hoc enim ex mala conſuetudine (ut amico forte exſtincto, amicus ultro ſibi mortem conſciſceret) enatum, amicitiae firmisſimae ſignum ponit Apostolus, ut ardentisſimum ſuum amorem indicet" (1). Tot igitur tantisque de illis praedicatis, huic loco eleganter finem imponit gradatione haud vulgari: *Gaudeo, quod in omnibus penitus de vobis confidam.* C. VII. 16.

Si vero locum ſpectes, in quo dona ab iis expetit Paulus, Cap, VIII - IX.; in eo potisſimum antitheſium ornatu valet oratio. — Nam ab initio inde jam illa egregie ſurgit vel deprimitur, pro vario, quod tractat, argumento. Legens quidem ſect. 2. (ubi verbum verbo, praedicato praedicatum, ſubjectum ſubjecto opponitur) fere verſari mihi videor in locis montuoſis, in quibus montes inter et valles adſcenditur et descenditur. Ait enim: ἐν πολλῇ δοκιμῇ θλίψεως (jam penitus deprimitur) ἡ περισσεία τῆς χαρᾶς αὐτῶν (altius ſane oratio ſurgere nequit, ſed iterum in profundum descendit, ſcribens:) καὶ ἡ κατὰ βάθους πτωχεία αὐτῶν (at denuo, quam posſit, altisſime ſurgit) ἐπερίσσευσεν εἰς τὸν πλοῦτον τῆς ἁπλότητος αὐτῶν. — Ita ſect 3. antitheſes et paranomaſias conjungit: *pro viribus et ſupra vires voluntarii fuerunt* (2). Quid multa! Tota oratio ad ſ. 7. usque continua gradatione abſolvitur; itemque ſ. 10, 11., alia. Ne

(1) Glassius l. l. II. p. 896. (2) Attendas Paulum dixisſe, non adeo eos egisſe, ſed voluntarios fuisſe ſupra vires; quapropter Bauerus immerito in eo αὔξησιν reperit.

Ne elegantem praeteritionem (παράλειψιν ajunt), C. IX. 1., nunc commemorem.

Nativa etiam venustate posterior Epistolae pars valde elucet. C. X-XIII. 13. — Paulus enim, calumnias refellens, Divinam et Apostolici muneris vim, C. X. 4., proponit allegoriâ. Militis instar pugnam instituit, sed non humanis viribus fretus, ut ille solet. Atque hoc eo dicit elegantius, quo magis res ad sensus refert. Videmus fere Apostolum debellantem, eumque tanta fortuna pugnam instituentem, ut nulla non ei cedant obstacula, et, captivis jam adversariis, omnia Regi suo subjiciat. In hac autem allegoria ad finem usque pergit, omniaque, quae militis et victoris sunt, egregie ad suam accommodat causam. Major enim inest elegantia, quod non comparationem instituerit, sed allegoriâ sententiam investiverit.

Eadem porro venustas, eaque satis apta et elegans, cernitur C. XI. 2.: *Praeparavi vos*, (*quos*) *uni viro*, (*ut*) *virginem puram sistam*, *nempe Christo.* Imagine utitur virginis, quae viro nubenda paratur. Illa quidem maritum unice curet, haud ceteros attendat, oportet; quod inprimis vim habet, si Orientalium feminarum rationem observamus. Comparationis enim, quod ajunt, tertium in eo cernitur, quod unius, non plurium, studio flagrare debeant. Non aliter Christiani pura Christi doctrinâ unice erant imbuendi, Eique soli sese dicare debebant. Atque his una tacite declarat, sese non desipere, quod antea concedere visus fuerat, C. XI. 1. — Huic allegoriae aliam adjunxit comparationem, qua mentem suam explicare conare-

 tur.

tur. Venustatem sane praebet illa troporum et figurarum permutatio ; quippe in his etiam delectat varietas. Sed insuper ipsa comparatio eleganter se habet: *Metuo, ne forte, sicut serpens ille Evam seduxit calliditate sua, ita corruptae mentes vestrae degenerent a simplicitate, quae est in Christo.* C. XI. 3. Apta omnino est comparatio. Uti Eva decepta est πανουργίᾳ serpentis, ita vos forte decipiamini πανουργίᾳ falsorum doctorum; uti Eva erat ἁπλοῦς (quod non aperte indicat, sed intelligi vult), ita et vos eratis ἐν ἁπλότητι in Christo. Neque minus efficax eadem est dicenda, cum ita magis videant Corinthii, quibus sese objiciant periculis, si his locum dent. — Eodem simul loco ironiam usurpat acutissimam, eamque adhibet „ad Corinthios unice, velut solos ea dignos, ob fastum, arrogantiam et tumorem" (1). Hujus ironiae elegantiam quisque percipit; at de his dein. — Sed quid est, quod de ceteris orationis luminibus pluribus ego moneam. Totum enim hunc sermonem „orationis ornamentis et schematibus picturatum ac modulatum", suo tempore monuit Erasmus (2).

Quisque porro in egregio loco C. XII. 1-10.... at abstineam! Tanta enim in hac Epistola venustae orationis indicia adsunt, ut eorum delectus revera sit difficillimus.

Sed vero praeter venustatem, quae ex tropis et figuris oritur, haec attendatur velim, quae e nati-

ti-

(1) Bauer l. l. III. p. 489. (2) Sunt verba Erasmi ad 2 Cor. XI, 23. et cf. de *Doctrina Christi* l. 4. c. 4.

tivo rerum argumentorumque ordine nascitur. Nam quo magis omnia artificiose sunt congesta, eo minor est epistolarum elegantia, quae ita arte, non ex animo, censeantur esse conscriptae. Verum in hac maxime Epistola viget nativus ordo. Omnia sponte fluunt. Dialecticum ordinem magnopere non curat Apostolus, sed ubique fere, quomodo ex altero argumento alterum oriatur, intelligimus. Verbo: amicus cum amicis loquitur. Quae forsitan causa est, cur orationis hiatus isti vituperent, qui Dialecticam quaerunt, non Naturae ordinem.

Denique (1) ad hanc venustatem referatur *collocatio membrorum*, s. distributio orationis partium, quam in locis, C. I. 6, 21. II. 10. III. 2. VI. 11. VIII. 7. IX. 8. XI. 17., aliisque vidit Bauerus (2); quaeque ideo silentio praetermitto. Verbulo modo moneo de *numero* q. d. *oratorio;* non quem Sophistae, unice placendi studio ducti, usurparunt, sed qui oriebatur ex animo sancto, divinitus affecto. Bauerus se illud recte transmisisse dicit, „ut leve et alienum a *scriptis* utique, nec declamationi destinatis" (3). Verum quid est, quod illum numerum negligamus, cum revera adsit? quod ipse concedit Bauerus. Fateor quidem, illum non ex placendi studio fuisse ortum, sed cum Apostolus ipse tam ἀισθητικῶς sese probavit sentire de eo, quod pulchrum sit et honestum

(1) Ne nunc quid moneam de eleganti idearum argumentorumque nexu; prouti ille C. II. 16. III. 1. VIII. et IX. aliisque in locis cernitur. (2) Bauer l. l. III. p. 359. (3) l. l. p. 349.

ſtum (cf. Phil. IV. 8.) quid mirum ergo, hanc verborum ἁρμονίαν ſuavitate ſua ſeſe ſponte ſcribenti ipſi obtulisſe? Mihi ſaltem inesſe videntur hujusmodi numeri locis: ἱλαρὸν γὰρ δότην ἀγαπᾷ ὁ Θεός, C. IX. 7., βλέπω γὰρ, ὅτι ἡ ἐπιςολὴ ἐκείνη, ἐι καὶ πρὸς ὥραν, ἐλύπησεν ὑμᾶς, C. VII. 8. πῶς ὀυχὶ μᾶλλον ἡ διακονία τοῦ πνεύματος ἔςαι ἐν δόξῃ, C. III. 8. cff. item III. 1 - 3. XI. 2. alia. Verum de his disputare non lubet, aliisque forte aliud judicantibus lubens cedo. —

§. 3.

Orationis ſuavitas.

Pergamus jam ad illas orationis dotes, quae ad animum referuntut. Omnes fere hujus Epistolae interpretes dictionis ſuavitatem obſervarunt. Est autem „ dicendi ſuavitas, Schellero (1) judice, orationis virtus, quae efficit, ut placeamus lectoribus.., atque ita ab iis libenter legamur.. .. Intelligitur ergo hic ſuavitas honesta, et honesto homine digna, non ea, quae cachinnos commoveat".

Neque tamen hic agimus de ſuavitate, q. d., animi Paulini (de qua C. II. §. 3), ſed de orationis ſuavitate, quae ex animo oriatur, ejusque dulcedinem prodit. Quapropter, ne eadem repetam, rogatos velim lectores, ut ante, quam ad ſequentia procedant, quae l. l. uberius dixi, ea relegant. Quibus

(1) Scheller, *Praecepta ſtyli bene Lat.* p. 309.

bus obſervatis, univerſe animadverto: Epistolam, quae tenerrimos illos benivolentiae et modestiae ſenſus aperte et ſine fuco verbis declarat, inprimis ſuavitatis laude commendari. Quum enim ſuum erga Corinthios testetur amorem; cum eorum facta gestaque amici inſtar dijudicet; cum ſe eos meliori de nota aliis commendasſe comiter fateatur, cett.: quis adeo ſit vecors, qui ſuavem dicendi rationem non animadvertit! — Sed agedum ipſum Paulum audiamus, et ſuavitatis indicia proferamus.

Ne nunc moneam, ſuaves inprimis esſe Epistolas, quae gratâ quadam ordinis negligentiâ ſeſe commendant; uti haec nostra est Epistola; mira profecto *appellationibus* inest ſuavitas. — Prouti ſolet in ceteris, ita hic Christianos ſuavi ἀδελφῶν nomine inſignivit, C. I. 8. VIII. 1. IX. 1., eosque haud raro ἀγαπητοὺς dixit, C. XII. 19. et VII. 1., quo in loco magna appellationis est vis et dulcedo, quod eos ad καθαρισμὸν excitat, eoque magis ſibi eorum conciliat gratiam, quo ſe penitius apud eos inſinuat. Quin et blando τέκνων nomine eos alloquitur: ὡς τέκνοις λέγω, C. VI. 13.; quam formulam in amore ſuo testando native et ſuaviter admodum inſerit. Eos quoque C. XII. 14., *filios* ſuos nuncupat, ſuumque paternum amorem ſuaviter hisce verbis praedicat: οὐ γὰρ ὀφείλει τὰ τέκνα τοῖς γονεῦσι θησαυρίζειν, ἀλλ' οἱ γονεῖς τοῖς τέκνοις. Quid autem ſuavius, quam quod ſe dicat Corinthiorum δούλον διὰ Ἰησοῦν, C. IV. 5.; ne nunc illud τις, C. II. 5., commemorem.

Hisce quidem omnino addendum putarim, miram illam *in flectendis ſibi eorum animis* ſuavitatem.

tem. — Jam initio Epistolae eos ſibi conciliat, testatus ſuam erga eos benivolentiam, et ex iis conſolationem, C. I. 3 ſqq. Hoc autem eo ſuavius dicitur, quo gravius eos in priori Epistola reprehenderat. — Nec tamen nos ii ſumus, qui, ubicunque Paulus ſuum testatur amorem, ibi dicendi ſuavitatem adeſſe velimus; plerumque enim ad id adverſariorum calumniâ cogebatur. Nec etiam omnes de re ſuavi ſuaviter ſcribunt. Sed vero ſcribendi rationem in eo obſervamus, eamque mollem dicimus. Haec enim bina egregie conjunxit Paulus. C. I. 24. Dixerat ſe, ut iis parceret, Corinthum non petiisſe. Jam vero occurrit ſuspicioni, ac ſi iis dominari vellet, et ſcribit: *συνεργοί ἐσμεν τῆς χαρᾶς ὑμῶν.* Quid mollius! quid amantius! cf. item C. VI. 11. — Maxime vero posterior Epist. pars, inde a C. X. ſuavitate ſeſe commendat. Uno tantum addito vocabulo, amantisſime ſcribit: *Φοβοῦμαι γὰρ, μήπως ἐλθὼν οὐχ* *ο ἵ ο υ ς θ έ λ ω* *εὕρω ὑμᾶς*, C. XII. 20., *μὴ πάλιν* .... *π ε ν θ ή σ ω* *πολλοὺς κ. τ. λ.* ſ. 21. Nativum quoque est illud: *Χαίρομεν γὰρ*, C. XIII. 9., et ita complura alia.

Quantopere autem ſuavitati inſerviat Pauli proprius mos, *quo rem*, quam ſummo jure negare potuerat, *interrogando proponit*, quoque ipſos illos judices ſiſtit, nemo non videt. Hujus moris plurima adſunt exempla: *τοῦτο οὖν*, ſcribit, *βουλευόμενος, μήτι ἄρα τῇ ἐλαφρίᾳ ἐχρησάμην; ἢ ἃ βουλεύομαι κατὰ σάρκα βουλεύομαι;* C. I. 17. *Ἀρχόμεθα πάλιν ἑαυτοὺς συνιςάνειν;* C. III. 1. *ἢ ἁμαρτίαν ἐποίησα;* C. XI. 7. cf. XII. 17. alia. Inprimis autem

tem huc pertinet, *faceta*, qua utitur, *ironia*, quae mira suavitate nos allicit, etiamsi sit mordacissima, uti illud: καλῶς ἀνείχεσθε; C. XI. 4., quod longe suavius dicitur, quam si acriter eos increpasset. Ita quoque χαρίσασθέ μοι τὴν ἀδικίαν ταύτην, C. XII. 13.; de quibus Bauerus „ huic, inquit, ironiae Pauli, omnes Socraticas ironias ego postpono" (1).

Sed, quo modo in *adversarios* loquatur, videamus. — Incestum illum, C. II. 5., ne nomine quidem commemorat. Obliviscendi cupidus, qualis ille fuerit, utitur pronomine τις (2). — In tota fere Epist. (quod inprimis tenendum) Paulus calumniam a se avertit, sed vix ejus auctores memorat, saltem fere eos leviter notat. Attendamus quaeso, C. I. III. V. 12. VI. 8. (in quo posteriori loco indicans, qualis haberetur ab adversariis, eos non tantum odioso nomine non aggreditur, sed ne appellat quidem) C. VII. 2. X. 1. XII. 16. — Sicubi vero eos denuntiat, comiter valde et leniter id facere solet. In referenda enim calumniâ, C. X. 10., vix inserit vocem, φησὶ, nullo addito nomine; et f. 12. eos dicit τινὰς τῶν ἑαυτοὺς συνιςανόντων. Loquitur de nonnullis ἐν προσώπῳ jactantibus; at isti Pauli erant adversarii, C. V. 12.

I-

(1) Bauer l. l. p. 3. p. 492. et cf. Glassius *Phil Sacra*. l. l. II. p. 911. (2) Interpretatur quidem Grotius: *si qua Ecclesia me moerore affecit*; ipsamque Cor. Ecclesiam notari putat. Cf. *Annot.* ad l. Verum Chrysostom. Erasm. omnesque fere interpretes recentiores, ad hominem quendam, speciatimque incestum illum, alludi statuunt, quod et verborum cohaerentiae, et priori Epist. optime congruit; ceterum cff. Interpretes.

Item de τῷ ἐρχομένῳ, C. XI. 4. cet. Eos autem demum Capite XI. 13-15., vehementer concitato animo, et fervore ductus, dicit ψευδαπόςολους, ἐργάτας δόλιους, διακόνους Satanae; sed vero in sequentt. ad placidam statim revertitur orationem, et suaviter monet de πολλοῖς καυχώμενοις κατὰ τὴν σάρκα, s. 18.; et dein: ᾧς δ' ἄν τις τολμᾷ, s. 21. inpr. s. 22. — Praeterea in iis refellendis quasi concedere videtur calumniam, qua eum petierant; quod C. XI. inprimis obtinere monuisse sufficiat.

Neque eadem haec suavitas negligenda videtur in *monendo, petendo corrigendoque.* — Audias velim, quam suaviter, quam comiter Corinthios moneat: Ὑπὲρ Χριςοῦ.. πρεσβεύομεν, ὡς τοῦ Θεοῦ παρακαλοῦντος δι' ἡμῶν· δεόμεθα ὑπὲρ Χριςοῦ, καταλλάγητε τῷ Θεῷ. C. V. 20. Μὴ γίνεσθε ἑτεροζυγοῦντες ἀπίςοις. C. VI. 14. Χωρήσατε ἡμᾶς. C. VII. 2. Αὐτὸς δὲ ἐγὼ Παῦλος παρακαλῶ ὑμᾶς διὰ τῆς πρᾳότητος καὶ ἐπιεικείας τοῦ Χριςοῦ. C. X. 1. Δέομαι δὲ s. 2.; multa alia. In his sane blandam monentis amici vocem audire mihi videor. — Sed praecipue hoc obtinet C. VIII et IX. Paulus C. VIII. ultro a Macedonibus ad Achaeos pergit, eosque jam ante admonet, quam ipsi percipiant, saltem id aperte declaret. Fiduciam enim, quam de iis fovet, enuntiat Apost. Deinde (ne in tanta copia alia commemorem) C. IX. 1. coll. VIII. 24. dicit: *Hos vobis commendo socios, nam de ministerio erga Christianos* περισσόν μοι ἐςὶ τὸ γράφειν ὑμῖν; quo nihil suavius admoneri possit. — His adjungatur illud: ἵνα μὴ λέγομεν ὑμεῖς. s. 4. —

Pau-

Paulum quidem *amicam de iis* tulisse *sententiam*, supra vidimus; sed audias, quam *blande et suaviter* illam *proponat*. — Omnes fere Corinthios istud incesti scelus lugentes habet, C. II. 5.: *εἰ δέ τις λελύπηκεν, ὀυκ ἐμὲ λελύπηκεν, ἀλλὰ ἀπὸ μέρους, ἵνα μὴ ἐπιβαρῶ, πάντας ὑμᾶς.* Egregiam quoque eorum conditionem ita patefacit, ut maximae illis laudi sit, in hisce: *ἡ Ἐπιςολὴ ἡμῶν ὑμεῖς ἐςε.* C. III. 2. Item lubenter recordatur eorum emendationis, illamque suaviter iis declarat. *Ἰδοὺ γὰρ, ... τὸ κατὰ Θεὸν λυπηθῆναι ὑμᾶς, πόσην κατειργάσατο ὑμῖν σπουδήν*: C. VII. 11. Quo in loco observes, quantopere eorum laudis recordari cupiat (1). Et C. VIII. 7. *ὥσπερ ἐν πάντι περισσεύετε*, quae blandior est habenda oratio, quippe quae versatur in expetendis donis.

Quid! quod *increpantis Pauli* severitas mira mitigetur *suavitate*, C. VII. 11-13. (2). Nam C. XII. 20, eorum non adeo reprehendit vitia, sed suavissimis verbis pronuntiat se *timere*, ne illa inter eos grassentur. — Denique *grata* illa *orationis negligentia*, quam merito suavitatis esse docuit *Ernestus* (3), hic (ut supra monui), inprimis obtinet. —

Atque jam satis constat, Paulum in hac Epistola non tantum manifestare se amoris, benivolentiaeque sensu plenum, sed illum inprimis suavi oratione cum aliis communicasse; quae sane orationis sua-

(1) Cff. quae de hujus loci suavitate monuit NIEMEYER l. I. D. V. St. 2. p. 426 sqq. (2) Quod quantum valeat bene docuit Ven. WILDSCHUT *Spec.* l. p. 78, 79. (3) *Oratio de grata orationis negligentia*, in ERNESTI *Opusc. Phil. et Crit.* p. 126 sqq.

ſuavitas e morum illa lenitate (quam ſupra iii eo obſervavimus) fuit enata.

§. 4.

Orationis Gravitas.

Haec autem, quae est in Epist. ſuavitas non unice hîc attendi meretur, quippe comitem ducemque ſibi habet dicendi gravitatem. Haec autem illa habetur „ orationis virtus, quae res graves ita tractat, ut graves esſe vere adpareant" (1). Et res quidem, quas hic tractat Apost. omnino graves esſe, quis refragari auſit? Quid enim Evangelii et muneris Apostolici defenſione; quid coetus Chriſtiani emendatione, et pauperibus ſuccurrendi ſtudio, gravius dici posſit?

Cum autem ſupra ex Pauli *verbis* ejus indolem indagavimus; et quicunque graviter dicit ad laetitiam, amorem, admirationem, ſpem, tristitiam, odium, timorem incitat; nunc vero hic ex iisdem verbis orationis dotes indagamus; non potest fieri aliter, quin jam multa ſint praeoccupata, quae hoc quoque loco eximie valeant. Quapropter nunc ſcribendi modum in iis attendamus.

Univerſe quidem ex eo patet dicendi gravitas, quod, *Apoſtolica auctoritate inſtructus, omnia pronuntiat.* — In tota enim Epistola ita ſe praebet, ut non tantum amicus ad amicos, ſed Apostolus ad Societatis Christ. ſocios ſcribat. Illa ſcribendi ratio,

(1) Scheller, *Praec.* I. p. 278.

tio, in increpando, in admonendo, in jubendo, in constituendo coetu apparet; in quibus omnibus oratio tam gravis est, ut continuo ejus tanquam Apostoli auctoritatem dignitatemque sentiant Corinthii; quam praeterea ab aliis observatam vult, ut vidimus S. II. §. 2. Hanc ob causam de Macedonibus scribit: *ἑαυτοὺς ἔδωκαν πρῶτον τῷ κυρίῳ καὶ ἡμῖν.* C. VIII. 5. Propterea omnem dat operam, ut suae doctrinae unice morem gerant Corinthii, C. XI. 4. — Neque illud alienum dicatur a Pauli persona. Epistola enim Apostolica non tantum suavitate, sed inprimis gravitate, sese commendet necesse erat. Graviter ideo illa se habent, quae initio Epist. scribit: *Παῦλος ἀπόστολος Ἰησοῦ Χρ. διὰ θελήματος Θεοῦ... τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ . . . χάρις ὑμῖν καὶ εἰρήνη ἀπὸ Θεοῦ πατρὸς ἡμῶν, καὶ κυρίου Ἰησοῦ Χρ.* Graviter item ultima verba: *ἡ χάρις τοῦ κύριου Ἰησοῦ Χρ.* cet; estque ea totius orationis indoles, ut gravitate sua sese commendet. Instar omnium sint loca, C. II. 5. III. 6. VIII. 6, 18, 22. alia.

Quod ut ulterius pateat, adjungamus specialia nonnulla; illamque gravitatem attendamus in vocabulis, formulis, ipsisque argumentis. A posterioribus initium ducamus.

Argumentorum quidem *copia*, quam profert, insignem orationi conciliat gravitatem. Ubivis in Epistola argumentis fere argumenta addita, et cumulata videmus. Hoc autem ne ita accipiatur velim, ac si eadem continue alia repetantur forma, sed ut una eademque res diversis argumentis fulciatur. — Exemplorum est copia. Inspiciamus tantum, C. III. 7 sqq., loco saepe cit., ubi varia ar-

gumenta miro modo ſibi fere inmiſcentur; quod in tanta verborum brevitate eſt, quod miremur. — Eximia autem eſt gravitas loci, C. IV. 16. — V. 10., in quo, quâque fere pericopâ novum tractatur argumentum, quod praecedenti explicando inſerviat. — C. VI. 5., in quibus ſeſe Dei miniſtrum probat, cuivis fere vocabulo novum ineſt argumentum, et paucis omnem ſuam vitam complectitur. cff. item X. 11. XI. 4. alia, quin et totum C. X., in quo mira dicendi brevitate ac varietate cauſam ſuam tuetur.

Ne autem quis putet, Paulum argumenta tantum enumeraſſe, non ponderaſſe, praeterea obſerves gravitatem, quae ex *argumentorum pondere* oritur. Gravia enim et valida ſunt haec, quae profert, argumenta. Ita v. c. *ὁ λόγος ἡμῶν ὁ πρὸς ὑμᾶς ὀυκ ἐγένετο ναὶ καὶ οὔ.* C. I. 18.; quod ut probet, ipſam doctrinam, quam annunciavit appellat teſtem; quin et Deum anteſtatur, qui dictis fidem faciat, ſ. 18-23. — Dein cauſam refert, cur inceſto iſti condonandum autumet, eamque graviſſimam: *ne forte nimia triſtitia abſorbeatur* (*homo*) *hujusmodi*, inprimis ne quid detrimenti capiat res Chriſtiana, C. II. 7-10., item C. III. 13-18. X. 1., quibus adjungatur cum argumentorum copia, quorum *ſingula* ſua ſeſe gravitate et valore commendant, tum *teſtimoniorum* et *exemplorum vis.* Haec enim ejusmodi ſunt, ut Chriſtianis vix magis poſſint eſſe accommodata. Valent enim inprimis illa, quae et e. S. Litt. et ipſius Dei teſtimonio petuntur. Ita hortatur eos, C. VI. 1. *ne fruſtra Dei gratiam receperint*, et addit continuo:

Λέ-

Λέγει γάρ· (fcil. Deus) καιρῷ δεκτῷ. cet. Item f. 16. ὑμεῖς γὰρ ναὸς Θεοῦ ἐςε ζῶντος· καθὼς εἶπεν ὁ Θεός. κ. τ. λ. C. IX. 9. alia, Vel ficubi exempla affert e S. L., petit illa vel ab Israëlitis in deferto, C. VIII. 15. (coll. Exod. XVI. 18.) aut, quod gravisfime Christianos moveat, ab ipfo Christo, C. VIII. 9.

Infuper gravis admodum est *argumentorum nexus*. Huc fpectat, quod ipfius Dei promisfis verbisque adductis, C. VI. 16-18., ftatim addat: ταύτας οὖν ἔχοντες τὰς ἐπαγγελίας, ἀγαπητοὶ, καθαρίσωμεν ἑαυτοὺς. Cff. loca, C. IV. 1-15. VI. 1. V. 11. XII. 1., alia. — Nec minus *argumentorum ufus* gravitati infervit, quae facit, ut rem, quam propofuerit, pluribus explicet. (de quibus nonnulla dixi in argumentorum copia referenda). Exempla fint loca, C. IV. 16. — V. 5., et maxime f. 5, ubi post vocem Θεός, additur: ὁ καὶ δοὺς ἡμῖν τὸν ἀῤῥαβῶνα τοῦ πνεύματος... f. 15. καὶ ὑπὲρ πάντων ἀπέθανεν. f. 21. VI. 14. VIII. 23.; quae fane abesfe facile poterant, fed graviter adduntur. — Ita etiam faepius dictorum caufam fubjungit, de quo fupra. cff. C. IV. 1. VII. 1. XI. 5. Quo maxime pertinent, quae antea de perfpicuitate monui; quippe gravitas est rerum gravium perfpicuitas.

Verum haud minorem gravitatem ipfis *formulis fententiisque* inesfe autumamus. Gravitatem omnino fpirant formulae: Πιςὸς δὲ ὁ Θεὸς, C. I. 18. ἐν οἷς ὁ Θεὸς τοῦ αἰῶνος τούτου ἐτύφλωσε τὰ νοήματα. et dein: ὅς ἐςὶν εἰκὼν τοῦ Θεοῦ. C. IV. 4. Τοῦτο λογιζέσθω ὁ τοιοῦτος. C. X. 11. ὁ Θεὸς

 οἰ-

οἶδεν. C. XI. 11. *τοῦτο δὲ καὶ εὐχόμεθα, τὴν ὑμῶν κατάρτισιν.* C. XIII. 9. cff. 11. XI. 12. III. 17. V. 13, 14. VI. 13. XI. 10. — Illa autem gravitate maxime eminent *formulae asſeverantes*, certae animi perſuaſionis testes. His quidem potisſimum utitur in refellendis adverſariis, uti: *καὶ οὐ θαυμαστόν*, C. XI. 14. *οὐ μέγα οὖν, εἰ καὶ*, cet. 15. *ὑπὲρ ἐγώ·* ſ. 23. in quibus elliptica dictio eximie gravitatem testatur. cff. C. XI. 31. VII. 16. III. 2. IV. 2. Nec omitti debent *dictiones* et *formulae*, admodum *ſimplices*, *imaginumque* uſus, quae gravitate ſua ſunt conſpicuae. In his inſtar omnium ſit allegoria, a milite deſumta, C. X. 4.; concesſio, uti C. XI. 1', 2. XII. 16. alia; inprimis autem antitheſes, de quibus dubitem, plus ad ſuavitatem, an ad gravitatem, conferant. Sed de his omnibus antea me agere memini.

Restat, ut de gravitate, in *vocabulis* conſpicuâ, nonnulla obſervem. Et egregiam quidem orationi gravitatem conciliat particularum, vocularum et verborum repetitio. — Hanc in rem legas, C. VI. 9. ſqq. et videas, quantopere ad gravitatem faciat repetita formula *ὡς*: *ὡς λυπούμενοι, .. ὡς πτωχοὶ, ὡς μηδὲν ἔχοντες.* Haec enim abesſe potuerat, ſi uno tenore calumniam recenſuisſet, dein veram ſuam conditionem addidisſet. Eadem est repetitio praepoſitionis *ἐν*: ſ. 5-7., ter repetitum *εἰ καὶ*, C. VII. 8.; ſexies item *ἀλλά.* ſ. 11. et eodem modo *εἵνεκεν.* ſ. 12., *καὶ* quater C. VIII. 7. *εἴ τις* quinquies, C. XI. 20. *κἀγώ.* ſ. 22., quam Polyſyndeton et Epiſtrophen dicunt Rhetorici.

Ul-

Ultimum gravitatis exemplum praebeant illa loca, in quibus *ante* orationis *ſubjectum* id ponitur, quod de eo *praedicatur*, uti ſaepe in Epist. ſua facere ſolet Paulus. *ὁ δὲ κατεργασάμενος*, ait, *ἡμᾶς εἰς αὐτὸ τοῦτο, Θεός*, C. V. 5. *ἱλαρὸν γὰρ δότην ἀγαπᾷ ὁ Θεός*, C. IX. 7. *πιϛὸς δὲ ὁ Θεος*, C. I. 18. *ἐν σαρκὶ γὰρ περιπατοῦντες*, C. X. 3. cff. XI. 18. alia. Denique *antithetorum* exempla praeſto ſunt, C. VIII. 2. loco ſaep. laud. 10, 11. XIII. 8. alia.

Tanta ergo fuit Pauli in ſcribendo gravitas, tanta ſuavitas. Indagantibus vero, utra harum orationis dotium priores teneat in Epistola partes, apparet nobis, dicendi gravitatem maxime in his literis dominari. Sed haec mira temperatur dicendi ſuavitate, atque ita jucundum, neſcio quid, nobis accidit legentibus; quod et ipſa Pauli indoles, et maxime ejus affectus genuere. (1)

§. 5.

Orationis Concitatio.

Prouti pictoris ſculptoriſque eo major est praeſtantia, quo magis imaginem ad vivum depinxerit ſculpſeritve, ut facillime in omnibus fere lineamentis archetypon noſcas; ita Epistolae auctor, qui de ſe ſuiſque rebus aliiscum agit, eo habetur

(1) Egregia ſunt, quae de hac Pauli oratione monuit Beausobre: „ Il ſait mêler l'autorité avec la condescendance, et toute la douceur de l'Apôtre S. Jean avec la ſévérité de Jean Baptiste." *Preface*. p. VI.

tur disertior; quo clarius omnes suos affectus, studiaque omnia expressit, quo magis non tantum Epistolae argumentum, sed et forma, non tantum res, sed ipsa verba, affectus illos indicant. Nec mirum. Ita enim nativa maxime habetur oratio, neque artificiose congesta; ut scribit amicus ad amicum, pater ad filium.

Atque hinc intelligitur, quamobrem concitatio in scriptoribus revera commotis orationis virtus habeatur. Est enim quasi affectuum delineatio, qua fit, ut in legentium animis hi excitentur.

Oritur autem haec styli affectio, observante Doct. Donker Curtio, „ ex scribentis animo incitato, s. rei magnae et gravis cogitatione et admiratione, s. affectuum commotione" (1). Quapropter illam in hac maxime Epist. spectemus necesse est. „ Tantam enim oratori vim addere habentur affectus, ut *victoriam* plane in iis ponant dicendi auctores, et languere sine illorum nervis dicant omnem dicendi copiam" (2).

Hanc autem Epistolam ad Pauli affectus nobis indicandos utilissimam esse supra vidimus, quapropter nunc docuisse sufficiat, quam illi in orationem vim habuerint, et quantopere valeat dictio ad nos iisdem imbuendos affectibus.

Legas vero Epistolam, et ubivis fere non tantum commotum sese ostendit Paulus, sed eodem te movet imbuitque affectu. Rapit nos, quo nos ducere vult. Fere cum illo lugemus. Ubi plorat, vix

a

(1) Donker Curtius *Diss.* l. p. 153. (2) Sunt fere verba Baueri *Rhet.* l. P. l. p. 441. qui legatur in loco: *de affectibus.*

a lacrymis nobis temperare posſumus; ut est apud Poëtam: *Si vis me flere, dolendum est primum ipſe tibi* (1). Sane, haec ea est orationis dos, hac in Epist. conſpicua, quae non uno alterove loco ſe prodit, non uni alterive verbo formulaeve inest, ſed per univerſam fere Epistolam dominatur. Hinc mixtum illud ſcribendi genus, quod hic obtinet. Hinc illa generis tenuis, medii ſublimisque conjunctio. Atque hinc est, quod nunc interroget, nunc audacter loquatur, quod cum ſumma gravitate mira ſit conjuncta ſuavitas, quod argumenta argumentis, verbis verba accumulentur. Hinc quoque ſaepius oratio adeo non conſtat periodis, juste compoſitis, tropique et figurae tanto aestu ſeſe ſere protrudunt. Hinc porro metaphoram excipit allegoria, allegoriam antitheſis, antitheſin ironia, ironiam comparatio. Hoc pacto explicandae ſunt imagines, nonnunquam propoſitae tantum, et mox aliis immixtae, at nonnunquam penitus ad rem accommodatae, quarum tenacem ſe prodit Paulus, et iterum iterumque inflexae. Haec denique ratio videtur, cur Paulina oratione aliis aliisque nos commoveamur affectibus. (2)

Hanc ſi obſervare negligimus orationis dotem, haeremus profecto (ut nonnulli fecerunt) in interpretanda Epistola, et obſervanda ejus oratione. —

Ut

(1) Horatii *de arte Poët.* v. 101, 102. (2) Huc maxime ſpectant, quae univerſe de Pauli oratione monuit Campbell. „ The ſtyl of Paul has ſomething peculiar, by which, in my opinion, there would be no difficulty in diſtinguishing him from any ohter writer"- cf. G. Campbell. *The four Gospels. Translated from the Greek.* Ed. v. Edinb. 1812. vol. I. *Prelim. Disſert.* 1. p. 74.

Ut autem, quae universe adhuc dixi, fiant manifesta, *singularia* quaedam de hac scribendi ratione, e Pauli Epistola adscribam.

Hebraismos (1) multis in locis reperiri Pauli ferebat scribendi ratio; verum in eo, quod iis saepius fuerit usus prae formulis Graecis, sibi quoque usitatis (cf. pag. 28.) quidni concitati animi indicia animamadvertere liceat. Ferventius enim Orientalium ingenium in Hebraeorum formulis verbisque luculentius patet, quam in Graecorum formulis. Hinc autem explicandum quod illis saepe lubens fuerit usus ad Corinthios, quorum tamen longe alia causa fuit ac Hebraeorum, Galatarum, aliorum.

Praeterea concitata nos movet Pauli oratio, quando in medio sermone *appellationes* proprias inserit; cujus rei luculentum exstat indicium in illo: *Os nostrum apertum est erga vos, Corinthii!* C. VI. 11., et quum in media oratione suum ipse infert nomen: Αὐτὸς δὲ ἐγὼ Παῦλος παρακαλῶ ὑμᾶς (2) C. X. 1.; quumque Deum testem advocat: ἐγὼ δὲ μάρτυρα τὸν Θεὸν ἐπικαλοῦμαι,

C.

(1) Concitationis indicia plurima habentur, quae supra ad gravitatem retuli; quo multa pertinent, quae ad argumentorum copiam jam adduxi, quippe concitate scribens alia aliis addit, et vix ab argumento desistit. Illud obtinet C. IV. 16. — V. 10. VI. 5-10. maxime C. VIII et IX.; Item eo quaedam revocanda, quae ad argumentorum usum, ac formulas asseverantes, propositas cum animi aestu, retuli. Quis enim scribendi virtutes adeo definiat, ut neutiquam sibi invicem accedant? (2) Concitatam orationem debilitare mihi videtur BEZAE versio: *Ceterum precor vos per clementiam et aequitatem Christi, ego ipse Paulus.* Nostratium „ VOORTS" quietam indicat orationem, quae in Graecis deesse videtur. Longius aberrat Ven. V. VLOTEN. Malim igitur vertere: *Ipse autem ego Paulus* cet.

C. I. 23. Commovemur ſane cum Paulo, cui tanta inerat animi concitatio, cuique tanta opus erat perſuadendi vi (1).

Concitatum animum oſtendunt *dictiones ellipticae*, in quibus animi affectus tanto aeſtu proruunt, ut breviores amet dictiones easque ellipticas. Hoc jam ſupra monui in illis: ἐυλογητὸς ὁ Θεὸς; quibus adjungantur loca, ubi particulae abſentia e concitata ſua mente naſcitur, quam ἀποσιώπησιν dicunt Rhetorici, v. c. ἡ ἐπιςολὴ ἡμῶν ὑμεῖς ἐςε. C. III. 2. νῦν χαίρω. C. VII. 9. χαίρω ſ. 16. (2) vel abſente vocabulo: γέγονα ἄφρων, C. XII. 11. (3)

Nec minus id teſtatur *abrupta* illa *dictio*, quando ſcriptor ad antegreſſa revertitur, a quibus in concitata oratione paululum deflexerat. Ita C. VI. 16. et XI. 8, 9., ubi, memoratis iis quae eorum in gratiam fecerat, ante ſcribit, quam factorum cauſam tradit: *est veritas Christi in me*, et demum, ſ. 11., ad argumentum revertitur. Hoc autem inprimis obtinet in C. VIII et IX. Postquam enim ſcripſerat: *gaudeo*, *quod penitus confidam de vobis*, ab eo declinat, et ea inſerit, quae aliam eamque ſummam gaudii cauſam praebebant, ſcil. libera-

(1) Ne nodum in ſcirpo quaerere videamur, vix illa loca commemoro, in quibus Paulus, etiamſi de ſe ſolus agat, plurali numero utitur; de quo LONGINUS περὶ ὕψους. ſ. XXXIII. (2) Cf ſupra p. 31. (3) καυχώμενος) quod additur in recepto textu, abeſt in Codd. A B D E F G. 23* 46, 67** 71. 3, 5, 6. (cf. WETSTEIN ad l.) *alii* 3. *Matth.* f, g. Verss. *Copt. Aeth. Arm. Vulg. It. Ambr. Ambrſt. Hil.* (not. WETST.) *Pel.*; probb. MILLIO, GROTIO, GRIESBACHIO. Videntur librarii, hiatus evitandi ſtudioſi, id addidiſſe.

ralitatem eorum, Paulo cognitam. His autem ad finem perductis, C. IX. 15., eo redit, unde antea fermonem inftituerat, C. X. — Monuit jam Longinus, quantopere illa dicendi ratio orationis virtus dicenda fit, quamque fcriptores concitati ab inchoata oratione ad alia fubinde transiliant, et his interjectis ad inftitutum rurfus fermonem revertantur, nam, *τότε γὰρ*, inquit, *ἡ τέχνη τέλειος, ἡνίκ' ἂν φύσις εἶναι δοκῇ· ἡ δ' ἂν φύσις ἐπιτυχὴς, ὅταν λανθάνουσα περιέχῃ τὴν τέχνην*: „*tum demum Ars confummata est, atque abfoluta, quum Naturae fpeciem induit; et vicisfim, Natura tum demum felix emendataque dicenda est, quum ab arte latenter adjuvatur*" (1).

Si vero orationis concitatae vim fpectare cupias, ea obferves loca, in quibus omnia *quaecunque animo complectitur*, *effundere conatur*, et unum alteri fuperaddens plura cumulare; qualia multa in his literis loca unusquisque reperiet. — Huc referatur *afyndeton* q. d. omisfis particulis, C. XI. 22, 23. *Ἑβραῖοι εἰσι; κἀγώ. Ἰσραηλῖταί εἰσι; κἀγώ.* cet. *τίς* f. 29. fine copula et particula C. XII. 10., quae collecta videas a Bauero (2). Commoti enim animi fervor conjunctionum vincula refpuit, uti bene docuit Longinus (3). Similiter longius ali-

(1) LONGINUS *περὶ ὕψους.* f. 22. *περὶ ὑπερβατῶν.* vertente TOLLIO p. 140, 141. (2) BAUER l. l. p. 592. (3) De copulis ita monet: *τὴν ἐλευθερίαν ἀπολύτει τοῦ δρόμου, καὶ τὸ ὡς ἀπ' ὀργάνου τινὸς ἀφίεσθαι*: *His libera ipfi procurrendi facultas eripitur, visque illa retenditur, qua ficut telum e machina nervo folet, in adverfarios emittitur*. l. l. p. 21. p. 139.

aliquando producitur oratio, donec cuncta adduxerit scriptor, quaeque dicat, veluti e torrenti profluunt. v. c. C. I. 3, 4. l. supra l. cet. Item: Ἡμεῖς δὲ οὐχὶ εἰς τὰ ἄμετρα καυχησόμεθα, ἀλλὰ κατὰ τὸ μέτρον τοῦ κανόνος, οὗ ἐμέρισεν ἡμῖν ὁ Θεὸς μέτρου, ἐφικέσθαι ἄχρι καὶ ὑμῶν. Οὐ γὰρ, ὡς μὴ ἐφικνούμενοι εἰς ὑμᾶς. κ. τ. λ. C. X. 13-16. Neque aliter, C. XI. 23. illud: Διάκονοι Χριστοῦ εἰσι; ὑπὲρ ἐγώ. Jam vero hisce scriptis, vehementer Paulus concitatur, et scribendi aestus in sequentibus cernitur, ubi copulam facile omittit. His addantur, C. IV. 4. III. 14-18. VIII. 2. XII. 20. — Nec ita mirum, si scriptor tanto agitatus aestu a *repetitionibus* haud abstineat, unde forte aliquando durior videtur oratio, uti vocis: παρακαλεῖν, C. I. 3, 4., copulae γὰρ repetitio, C. XI. 2.; VII. 6, 7., verborum vel formularum pleonasmi: καθ' ὑπερβολὴν ἐβαρήθημεν ὑπὲρ δύναμιν. C. I. 8. Αὐτὸς ἐγὼ Παῦλος. C. X. 1. coll. XII. 2, 3. — Quae omnia tantam profecto habent in lectorum animos vim, ut eosdem affectus, eandemque concitationem iis infundant.

Haec maxime animi commotio stylum reddit concitatum per *imaginum audacium et insolitorum usum*, a triumphis Romanorum, a Satana, ab obscuratione mentis per Deum hujus seculi, aliisque, desumtorum, de quibus supra, et huc quoque retulerim verborum fervescentium usum, uti illud ἐσυλήσα. C. XI. 7. — Ubicunque igitur dictionis concitatio, nos movet, variisque imbuit affectibus, quod quidem in tota Epistola, sed maxime in posteriori ejus parte obtinet, quae ob plu-

plurium virtutum oratoriarum conjunctionem egregia est habenda. (1).

§. 6.

Orationis Sublimitas.

Superest, ut de dicendi ſublimitate pauca disſeram (2). „ Cernitur autem haec, Cl. Lennepio judice, non artificio quodam verborum, ad pompam et ostentationem comparato, quod non tam vitae, quam ſcholae cenſetur, non afflatu quodam furoris, quo vates ſuos, tanquam rabie tumentes, divinitus ferri, crediderunt, ignorantiae tenebris obcoecati, gentiles; ſed oratione ſimplici, propria, familiari, quae, ex ipſis nata rebus, earum amplitudini, divinitatique explicandae ſit accommodata" (3). Egregie autem obſervavit Blairius, acutus ille pulchri venustique judex, eas demum revera ſublimes es-

(1) Maxime ergo hujus loci ſunt, quae univerſe de Pauli ſtylo monuit Cl VAN HENGEL: „ Zijne ziel was niet van ééne, maar van vele gedachten te gelijk vervuld, die, als pijlen, door dezelve heenkruisten. Zij werden bij hem, de eene onmiddelijk uit de andere, geboren, verdrongen elkander, vóór zij geheel gevormd voor zijnen geest ſtonden, en lieten hem geene rust over, om aan de inkleeding te denken. Te regt heeft men den ſtijl des Apostels met een' bruisſchenden ſtroom vergeleken, welke alles in zijne vaart medevoert." Zie *Verh.* t. a. p. bl. 24. (2) Posſit forte ad gravitatem referri ſublimitas; verum prouti a perſpicuitate gravitas differt, ita fere a gravitate ſublimitas. Sunt ſane graves. res omnes ſublimes, ſed omnes res graves non aeque ſublimes. (3) Cf. J. D. A. LENNEP in *Orat. I. de altitudine dictionis ſacrae N. T. ad excelſam Longini disciplinam exacta*, ſubjuncta VALCKENARII et LENNEPII *Prael. de Analogia*, Traj. 1805. bl. 559, 560.

esſe habendas descriptiones, quae verſantur in rebus vere altis, ejusque ſublimitatis ſenſu nos imbuant (1). Quapropter recte oratio ſublimis dicitur, quae manifesto indicat, rem esſe vere maximam, extraordinariam et ſublimem (2); forte brevius definitur ſublimitas: *rerum ſublimium gravitas* (3).

Oratione autem ſublimi cum nullae res tradi posſint, niſi quae revera ſunt ſublimes, earum conſummata penes ſcriptorem esſe debet notitia (4). Haec autem ſublimis earum indoles e verbis pateat necesſe est; estque ea ſublimis oratio, quae nos penitus moveat, qua affectus in nobis gignan-

(1) Blair *Lesſen over de Redek. en fraaije letteren*, D. I. bl 76. (2) Scheller, *Praec. ſtyli* l. p. 368. (3) Laxius tamen ejus fines circumſcripſit Longinus, nervoſe ſcribens: Τοῦτο γὰρ τῷ ὄντι μέγα, οὗ πολλὴ μὲν ἡ ἀναθεώρησις, δύσκολος δὲ, μᾶλλον δ' ἀδυνάτος ἡ κατεξανάστησις, ἰσχυρὰ δὲ ἡ μνήμη, καὶ δυσεξάλειπτος. Ὅλως δὲ καλὰ νόμιζε ὕψη, καὶ ἀληθινὰ, τὰ διαπαντὸς ἀρέσκοντα, καὶ πᾶσιν. „*Ista enim vere grandis ſententia est, quae auditorem in longam ſui rapit admirationem: cui non modo non difficulter, verum nulla omnino vi atque ratione reſisti potest: quaeque menti ſemel impresſa, perennitura deinceps eidem, ac indelibili inhaeret charactere. In ſumma hanc esſe demum veram, hanc genuinam et egregiam ſublimitatem existima, quae* et ſemper placeat, et ubique, et omnibus". cf. Longin. l. l. ſ. 7. p. 44. — Haec autem omnia ad pulchrum et ornatum, non item ad τὸ ὕψος referenda esſe, monuit Blair *Lesſen* l. l. p. 78, 79. cum ipſe Longinus ſ. VIII. eo revocet σχήματα et verborum compoſitionem; quae non adeo ad τὸ ὕψος ſunt referenda; qua in re Long. conſentientem ſibi habuit Cl. Lennepium. Quapropter, quae in aureo Longini libello habentur, inde a ſect XVI — XLII., venustatis ſunt. — At contra obſervavit Cl. Siegenbeek Longinum non adeo tractare illud, quod vulgo *ſublime* dicimus, ſed univerſe *Eloquentiam ſublimem* (*de verhevene welſprekendheid*) cf. Longinus *over de verhev. vertaald door* M. Siegenbeek, Leyd. 1811. Inl. p. 11. (4) Cf. Blair p. 78, 79. et Scheller l. l. p. 368, 369. Bauer l. l. III. p. 771.

gnantur generosi, sublimes. Inprimis autem huc pertinent simplicitas, brevitas, perspicuitas et gravitas, de quibus supra me dicere memini (1).

Haec autem si ad Paulum accomodantur, Apostolus in hisce literis res tractat admodum sublimes. — Reputes, Lector! quot quantaque praedicet de rebus coelestibus, at ne cogites, res tantum coelestes altas esse dicendas; quippe et illae, quae in terrarum orbe peraguntur, saepius sublimes sunt dicendae, et affectus iis gignuntur perquam excelsi, ipsa hac Epist. teste. Homines nimirum puros Deo sistere vult, amorisque item studio excitare. Ecquid autem amore excelsius sublimiusque? Deus ipse amor! Affectus suos, at quales in Paulo! expressit, eosque animadvertimus altos, qui non nisi in animo excelso oriri possunt, quique pathetico sensu nos afficiunt.

Legas, quae ipse scripsit de *coelesti illa ἀποκαλύψει*, C. XII. Paulo, antea Rel. Christ. adversario, hodieque Evangelii vindici, ejus annunciandi provincia erat mandata, quae sublimis dici meretur; sed insuper beneficio fruebatur, quo mortalium nemo adaeque fuerat beatus, coelestisque ei contigerat patefactio. Sed audias illum summa simplicitate simulque mira sublimitate hanc describentem: *Novi hominem in Christo ante hos* 14 *annos*, (*an in corpore*, *an extra corpus*, *nescio*, *Deus scit*,) *raptum in tertium usque coelum. Et novi hujusmodi hominem* (*an in corpore*, *an extra corpus*, *nescio*, *Deus novit*,) *raptum fuisse in paradisum*, *et audiisse ineffa-*

(1) Blair l. l. p. 87, 93.

sabilia verba, quae nemini hominum eloqui liceat. (1). Obsecro te, Lector! tune apud scriptorem quendam

(1) De difficiliori h. l. multi multa retulerunt, quae singula repetere non hujus est loci Pauca haec teneantur velim. ἄνθρωπος ἐν Χριστῷ). ἐν Χριστῷ, quod alii cum ἁρπαγέντα, alii cum οἶδα jungunt, cum GROTIO referre malim ad ἄνθρωπον. Neque tamen his verbis universe: *Christianum* intelligerem, sed potius *hominem*, *arctissime cum Christo junctum*. coll. 2 Cor. V. 17. Rom. VIII. 1. et, consueto S. S. maxime Johanneo, usu verborum οἱ ἐν Χριστῷ, idem fere ac μένοντες ἐν Χριστῷ cf. STRONCK. *Diss.* l. p. 111. Imago desumta videtur a vite, cui rami sunt inserti. cf. Joh. XV. 5. — Paulum hic loci de se agere docuit. Ven. HASELAAR *Diss.* l. p. 133. Illud vero addidisse videtur, quo magis probaret, se illo beneficio fuisse beatum, tanquam cum Christo junctum. — πρὸ ἐτῶν δεκατεσσάρων.) Non est, quod haec cum GROTIO ad priora referas, ac si ante 14 annos demum ad Christianorum sacra accesserit, quod temporis ratio non patitur. Sed pertinere videntur ad subsequentia; quippe haec ante 14 annos evenerant. Ceterum de temporis notatione cf. HASEL. l. l. p. 136. Forte haec addidit, ut significaret, se per omne illud tempus, iis nunquam fuisse gloriatum. — ἁρπαγέντα.) *subito elatum*, *erectum*. cf. Act. VIII. 39. Apoc. XII. 5. — ἕως τρίτου οὐρανοῦ, εἰς τὸν παράδεισον.) Non curamus hic Rabbinorum nugas de 7 coelis, cf. WETSTEIN ad l. LIGTFOOT. *Hor. Hebr. et Talm.* p. 721. SCHOETGEN. *Hor. Hebr. et Talm.* p. 718. Nisi utraque notio de eodem loco adhibetur, quae est SEMLERI et HASEL. sententia, saltem Paradiso non inferior locus intelligi potest, quam tertio coelo, Paulo monente, qui primum dicit de tertio coelo, dein de Paradiso. *Paradisus* dicitur de beatorum sede, Luc. XXIII. 43. et de divinae majestatis sede, ubi Dei est solium, Apoc. II. 7. coll. XXII 1-3. cf. BOSVELD *Leerr. over* 2 Cor. XII. 1-11. bl. 5. Dord. 1815. — εἴτε ἐν σώματι. εἴτε ἐκτὸς τοῦ σώματος.) Res, quam expertus fuerat, illo eum affecerat sensu, ut ad se ipse vix attendere posset, et prorsus nesciret, utrum id sola mente, an vero una cum corpore fuerit expertus. Quo magis autem hanc ecstasin iis ostendat, continuo repetiit. — ῥήματα) דברים, Res. ἄῤῥητα) SEMLER, BOSV. vertunt: *nondum dicta*. Malim cum BEZA vertere: *ineffabilia*, cf. HASEL. p. 132. Erant autem ejusmodi, ut non licitum fuerit, (οὐκ ἐξὸν. cf. Act. II. 29. 1 Cor. VI. 12.) ea verbis exprimere. Quapropter qualia illa esse potuerint, nos non anxie indagamus, s. ad Dei splendorem, s. ad Religionis Chr. indolem

dam Graecum Latinumve, vel disertissimum, quicquam reperias, quod huic sublimitati aequari possit? Hic enim non somnia narrantur, sed vera, sed facta. Non in mortalium hominum societate versabatur, sed coram viris sanctis erat: Henocho puta, Abrahamo, Mose, Davide, aliis, coram Angelis et Spiritibus, qui Dei throno adsunt; et vero coram ipso Deo. Atque hic non vulgares sermones audivit, sed ἄῤῥητα ῥήματα. Vel sic tamen,

lem, s. ad Pauli fata, s. ad alia spectaverint. —— σκόλοψ τῆ σαρκί.) *palus acutus, spina*, qua homines perforantur. cf. SCHLEUSNER ad v. MOSH. l. l. p. 692. ἄγγελος Σατᾶν) *mali genii minister*, cf. 2 Cor. XI. 14; 15., quemadmodum veri Doctores, Dei angeli, Gal. II. 14., dicuntur. —— κολαφίζειν) adhibetur *de infligendis doloribus et cruciatibus*, 1 Petr. II. 20. 1 Cor. IV. 11. coll. 2 Cor. XI. 20. Binis hisce imaginibus eadem res significari videtur: eum scilicet summis afflictum fuisse doloribus et cruciatibus. Cujusmodi autem hi fuerint, haud facile definiatur. Veruntamen vix vitiosi affectus, 1 Cor. VII. 7., nec *proprie* malus genius, cujus hic angelus fuisse dicitur, nec quaedam mentis anxietas, aut corporis difficultas, quorum nulla adsunt vestigia cogitari possunt. Verba enim ἐν σαρκὶ illam calamitatem non adeo ad corpus referre, ex eo mihi colligendum videtur, quod haec tantum inserviant ad metaphoram ornandam. Prouti alio loco σκόλοπες ἐν τοῖς ὀφθαλμοῖς dicuntur adversarii, Num. XXXIII. 55. Quapropter verisimile admodum videtur, falsos illos Apostolos Paulo ob oculos fuisse, qui non tantum suae doctrinae, quemadmodum etiam illi ceterorum Apostt., sed maxime *Apostolico suo muneri*, quod ceteris Apostolis haud ita fieri solebat, adversabantur. Ab his enim multa molesta graviaque passus fuerat, et summis doloribus cruciabatur, velutque κόλαφοι ei infligebantur. cf. sect. 9., ubi hunc eventum ad ἀσθενείας refert; et quae iisdem verbis, C XI. 13 sqq et 23. VI. 4-10. Gal. IV. 17. VI. 17. repetit. Cff. loca Num. XXXIII. 55 Ezech. XXVIII. 24. ubi Israel proponitur vacuus σκόλοπι πικρίας cf. BIEL, *Nov. Thes. Phil* P. III. p. 289., et BOSVELD l. l. p. 68. — Atque ita explicari potest, quare Paulus illos non diserte significaverit. Quippe ipsi eo forte superbirent, et Corinthii eos facile cognoscere poterant ex iis, quae Paulus modo scripserat, C. XI. 14, 15.

men, quanta in narratione ineſt ſimplicitas! quanta brevitas! quanta ſublimitas! Senſim ſenſimque ſe effert ſcriptor, nosque ſecum ducit in altum, donec ipſi nobis videmur coeleſtibus locis adesſe; et illinc nobiscum haud revertitur. Quam ſplendidum hocce orationis lumen! quam coeleſti re dignum! (1). — C. VIII. 9. Reputat Chriſti conditionem, excelſam illam et majeſtatis plenam, ſplendoremque divinum, quo fruebatur ante terreſtres e Maria natales, eique opponit humilem, quam in hisce terris egit vitam, laboribus, curis, calamitatibus plenam; at vero quam ſimplicia ſunt illa: *Propter vos pauper factus eſt, dives cum esſet.* Quid grandius his! quid ſublimius! — Paulus, qui ſaluberrimos Evangelii effectus mente ſua jam perceperat, eos ita exprimit, C. III. 18., ut illius altitudinem ſentiamus ipſi: *Nos autem omnes*, inquit, *retecta facie* (abrepto Legis Mos. velamine) *Domini ſplendorem, veluti in ſpeculo intuentes, ad eandem imaginem transformamur, a gloria ad gloriam.* — Hoc ſane eſt ſublime, et Evangelii veram indolem ejusque effectus indicat. Etenim Evangelii ope Dominum, non ipſum, ſed tanquam in ſpeculo, intuemur. Quam grande, Deum contemplari! ſed grandius additur: ad illam imaginem nos homines transformamur!

Qui parva ſummisſe, modica temperate, magna graviter dicit, is, Cicerone (2) teſte, eſt eloquens. — Tali certe Paulus invaluit eloquen-

tâ

(1) Quanta ſit repetitae formulae: *εἴτε ἐν σώματι, εἴτε ἐκτος τοῦ σώματος*; cet ad ſublimitatem percipiendam vis, neminem fugit. (2) CICERO *Orator.* c. 29. ſ. 102. p. 678. Ed. *Erneſti.*

K

tiâ in loco, C. V. 1. Nam audias, quam ſummisſe, quamque humile de corpore ſuo loquatur: *Si terreſtris hujus domus tabernaculum disſolutum fuerit.* Non majoris illud ducit, quam tentorium, quod destruere aut erigere ſolebant proavi. Haec ſunt humilia. Verum ubi corporis illius in coelum ſublati gloriam ſpectat, ſublime ſpirant omnia et ſunt coelestia: *Aedificium ex Deo habebimus, domicilium non manibus conſtructum, aeternum, in coelis* (1). Vide! non humanis viribus est exſtructum, ſed ex Deo est; non manibus confectum, ſed ἀχειροποίητον; non temporum injuriae cedens, ſed aeternum; non in hisce terris erectum, ſed in ipſo coelo, inque Dei domicilio. Verba ſunt ſimplicia, ſed in ſummam nos rapiunt admirationem — C. V. 10. Christum ſibi ſistit judicem, tribunali ſuo inſidentem, de *quocunque* homine ſententiam dicentem. Haec ſublimitate ſuperant omnia; attamen verba uſurpat, fateor, ſimplicia, ſed quae nos ſublimitate ſua commovent. *Omnes enim*, ait, *nos manifestari (adesſe) oportet, coram tribunali Christi, ut quisque reportet, quae in corpore fecerit.* Quod revera *Dei terror* dici posſit.

At *animi affectus*, generoſos illos, et altos, deſiderans, adeas ſimplicisſimam illam, quam Paulus facit conditionis ſuae deſcriptionem, quam quo ſaepius intueor, eo major ea mihi et ſublimior vide-

(1) Melius interpungi mihi haec ſectio videtur, poſito commate post αἰώνιον, quippe aliud illius conditionis adjunctum memorat.

detur: *foris pugnae, intus terrores*, C. VII. 5. Cogitate pugnas illas, adversariorum tela, labores irritos, cett., quantumque voci φόβοι insit cogitate. Qui affectus amoris! qui benivolentiae! Profecto haec sunt divina. — At omnium instar sit illud, quod et sublimitate sententiarum, et vocabulorum proprietate, et affectibus generosis eminere mihi videtur: *Dixit mihi Deus: sufficiat tibi gratià mea*, quibus laeto animo adjungit: *Lubentissime igitur gloriabor potius de infirmitatibus meis, ut tanquam in tabernaculo inhabitet in me potentià Christi.* C. XII. 9. Hi sane affectus, divini fere, perquam simplices proponuntur. — Itidem, gravia atque splendida monet, C. XIII. 11., in quibus orationis κλίμακα ne negligas: *Quod superest, fratres! valete, instauramini, consolationem habete, idem sentite, in pace agite et — Deus caritatis et pacis erit vobiscum;* quod quam sit splendidum, quamque sublime, non est quod moneam (1).

His multa adjungi possint, sed addere malim Cl. Lennepii verba. „ Quotus quisque vestrum est, paullum modo erectior, qui, cum Pauli illud ardens, pro Dei gloria, et veritate atque virtute, pectus, in ejus Epistolis, intelligat, loqui, non, tanquam fulmine tactus, protinus inflammetur . . . . Equidem quamquam vehementer amo Platonem . . . . in Literis divinis . . . . altitudinem admiror tantam, quantam non Longinus cogitavit summam, sed ipse, di-

(1) Cff: cet. I. 8. IV. 7.; et quae annotavit Bauerus (l. l. p. III. p. 782.) III. 6. VI. 11 - 14. VIII. 1. XIII. 1 - 3.

divino ſpiritu plenus, Paulus, in agendi rationibus Dei, cum animo contemplatur, nec verbis asſequi poteſt, quaſi, quodam aestu ſubito a terra in coelum abreptus, exclamat: „ O altitudinem im„ menſam ſapientiae et cognitionis Dei" " (1).

§. 7.

Obſervationes de Pauli Oratione in hac Epiſtola.

Postquam ſcribendi dotes hac in Epiſtola ſingulatim conſideravimus, nonnulla de *Orationis indole et charactere* animadvertam.

1. Vidimus *variis orationis dotibus ſuum esſe hac in Epiſt. locum.* — Orationis *gravitas*, quae ſumma in Paulo esſe ſolet, hic potisſimum mirâ mitigatur *ſuavitate*, cujus maxima eſt, qua nos alliciat, vis. Nonnullis autem in locis dictionis *ſublimitas* nos movet, et abripit, et per totam quidem Epiſtolam, maxime in poſteriori ejus parte, Paulus multiplici commendatur ſcribendi *elegantiâ.* - Atque ita ſponte patet, quanta ſit Paulinae indolis vis et efficacia in orationem. Uti enim vaſtum illud ingenium et fervens morum lenitate temperabatur: ita orationis gravitas mirâ lenitur ſuavitate. Inprimis autem animus ejus commotus orationem reddit concitatam. — Quid vero, ergone eſt altera ad Corinthios Epiſtola perfectum abſolutumque e-

(1) v. Lennep *Orat.* I. p. 597. 598.

eloquentiae exemplum? Absit. Neque ipse hoc cogitavit Paulus, nec nobis ita est judicandum. Magnum sane adest discrimen Demosthenem inter et Paulum. In illo accurata viget eloquentiae vis, in hoc omnia nativa ratione procurrunt (1). Licet enim non est, quod negemus, Paulum eloquentiae nequaquam fuisse rudem, sed hanc dotem usu continuo exercuisse (cujus documenta adsunt in egregia illa oratione, quam in Areopago Atheniensi habuit, in illa coram Agrippa, in aliis); tamen perfecta ejus haud fuisse videtur eloquentia; perfectam enim illam non sectatus est.

At vidimus continue omnia nativa ratione procedere, ut attente Epistolam perlegentibus apparebit. Prae ceteris autem in definienda orationis indole, attendatur *concitationis* vis, quam tota exserit Epistola. Hinc quidem orationis color et character hîc proprius est, et privus. Hinc factum, ut multi reperiri videantur *hiatus*, et ut ab uno ad alterum prosiliat oratio. Quae omnia impediunt, quo minus hic eloquentiae consummatae exemplum quaeramus. Quippe non ad artis regulas anxie est composita, sed ex commoto maxime animo profecta. Differt autem, utrum quis Paulum eloquentem dixerit, an vero eloquentiae dotes in Epistola ejus observaverit.

2. *Quatenus* igitur *hae orationis virtutes Episto-*

(1) Legantur, quae de Paulo et Demosthene inter se comparatis annotavit HEMSTERHUSIUS *Orat.* I p. 32. et quam VALCKENARII sententiam reperias in libro: J. L. EWALD et J. CLARISSE *over de Kanselwelsprekendheid*, p. 31.

ſtolae inſunt, eatenus diſerta appellari meretur. — Paulus nimirum a natura quamdam felicitatem acceperat, qua diſertum ſe praeſtaret. Ideo artis regulas non anxie quaeſivit, ſed eas eatenus adhibuit, quatenus ipſi naturae inſunt, et ab ingenio ſolerti, uſu jam edocto, hic applicantur. Quamcunque rem ſuis fere coloribus depingere ſaepe valebat, et pro nativa ſcribendi ratione aliis perſuadebat, docebatque eos et oblectabat. Talem autem eloquentiam, (naturalem eam dicunt) hic potisſimum ostendit (1). — In eo diſerta dicenda est Epistola, quod optime Apostoli conſilio inſerviret, et vere, bene, apte et convenienter argumento, quod tractaret, ſcriberetur. Hac dote altera potisſimum ad Cor. Epistola, prae multis aliis Pauli Epistolis, ſeſe oratoriis virtutibus commendat: quod inprimis de posteriori Epistolae parte conſtat. Quis enim tantam orationis elegantiam, tantam ſuavitatem gravitatemque in alia Pauli Epiſtola inveniat?

3. Hoc autem nemini mirum videri potest. *Nam eloquentia* non ſolum ad forum pertinet (2), ſed *in Epistolis item vigeat necesſe est?* „ Quis enim Ciceronis

(1) Egregie eam depinxit NIEMEYERUS. „ Die natuurlijke welſprekendheid, welke uit de volheid van het hart ſtroomt, welke zonder regel ontroert, bekoort, wegſleept, elke hartstocht in beweging brengt, en het hart doet ontbranden." cf. l. l. V. I p 285. (2) Cf. Cl. v. D. PALM *Redev. over den waren aard der welſprek.* in de *Redevoer.* en *Verh.* bl. 40. verv. Ven. E. KIST *Betoog dat de welſprekendheid innerlijke waarde bezit*, in de *Redev.* en *Verh.* bl. 181. en verv. Cf. BLAIR l. l. II. p. 59.

nis eloquentiam in orationibus solis quaerat, non etiam in Epistolis" (1). Sunt Epistolae, monente Ernesto (2), inventae, ut cum absentibus colloqui possemus. Jam vero in illis totus effunditur animus, et si quis naturali eloquentia valet, illa in Epistolis valeat, necesse est. — Verum praesertim *hujus Epistolae argumentum*, si illam habuerit Paulus, *hic eam requirit.* Neutiquam enim, ut saepe solebant oratores, de levibus disserit rebus, quas nauci floccique habet; sed gravissimum tractat argumentum, in quo describendo omnia ejus studia omnesque conatus versantur. Non obiter tantum eos monet, sed omni, quo potest, ingenii fervore, summaque ope nititur, ut iis persuadeat, ut eos emendet, ut ex animo pleno doceat. Qua quaeso in causâ ad excitandam naturae illam in scribendo felicitatem, aptiorem efficacioremque, quam in hac ipsa, nactus fuisset opportunitatem?

4. Atque *illam naturalem eloquentiam manifestavit in nativa scribendi ratione*, qua omnem suum animum, omnia sua studia, omnemque indolem suam expressit; qua iis utitur verbis, quibus res non tantum apte, sed omnium maxime accommodate, denuntiat, et illis orationi gravitatem conciliat imaginibus, quae non aliunde sunt quaesitae, sed sponte scribenti se obtulerunt, quaque in tali tantoque argumento tractando, eas usurpat formulas, eamque dictionem, quas dein tropos et fi-

(1) Bauer l. l. P. I. p. 2. (2) Ernesti *Init. Rhetor.* §. 237. p. 109.

figuras dixerunt, easque pro ſolerti ſuo ingenio ita orationi immiscuit, ut orationis lumina dici mereantur. Verbo. Paulus in hac Epistola, commoto animo, et oratione concitata, conſcripta, probavit illud Quintiliani effatum: *Pectus est, quod diſertos facit* (1).

(1) QUINTILIANUS *Inſt. Orat.* l. X. c. 2.

CON-

CONSPECTUS.

Prolegomena.

SECTIO PRIMA.

De altera Pauli ad Corinthios Epistola.

SECTIO ALTERA.

De Pauli Indole, in hac Epistola observanda.

SECTIO TERTIA.

De Pauli Oratione, in hac Epistola observanda.

THE.

T H E S E S.

I.

Sectarum in Corinthiaco Christianorum coetu origo e Graecorum disputandi ſtudiis repetenda videtur.

II.

Altera Pauli ad Corinthios Epistola unam conſtituit Epistolam.

III.

Ad eam rite explicandam multum valet, ſi internam Eccleſiae Corinthiacae conditionem cognoscamus, ſi varios affectus, quibus in ſcribendo movebatur Apoſtolus, obſervemus, et epistolarem inprimis ſcribendi formam attendamus.

IV.

Mixtum orationis genus, quod hac in Epistola obtinet, ex Pauli in ſcribendo affectibus est explicandum. Hîc autem maxime valet: *Pectus est, quod diſertos facit.*

V.

Inerat Paulo ingenium, quod grandia quaeque et vasta cum facile complecteretur, tum ardenti ſtudio

ex-

exsequeretur: temperabatur autem illud insigni morum lenitate.

VI.

Interpretatio Literarum S. et vera Philosophia his quidem temporibus egregia et praecipua sunt, juvante Deo, nuntiorum Evangelii subsidia et praesidia.

VII.

In interpretando Sacro Codice optime versamur, si scriptores ex ipsis scriptoribus explicemus.

VIII.

Joëlis vaticinia, C. III. 1, 2. (C. II. 28. sq.) Messiae tempora et Spiritus effusionem spectant. Haec autem effusio, quae Pentecostes die accidit, egregie valuit ad Religionis Christianae veritatem demonstrandam.

IX.

Formulae: ἔιπειν λόγον κατὰ τοῦ υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου, Matth. XII. 32. significare videtur: *adversari Christi doctrinae, dum hac in terra versaretur*, sed ἔιπειν κατὰ τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου, *adversari doctrinae, a Spiritu Sancto multis* σημείοις καὶ τέρασι *firmatae.* Ex his itaque natura et indoles τῆς βλασφημίας τοῦ πνεύματος intelligitur.

X.

Si cui persuasum est de divinae patefactionis veritate, is dubitare nequit, quin unius Dei cultus, non vero Polytheismus, apud antiquissimos homines obtinuerit.

XI.

Si reconciliationis cum Deo vera doctrina tollatur, ſalutaria Christi merita prorſus tolluntur, nec ulla ſuperest, eaque certa, veniae ſpes.

XII.

In mysteriis tractandis, nulla tutior est via, quam ſi ſolummodo ſcriptores Sacros ſequamur duces, et diffidamus argumentationibus, ſaepius fallacibus.

XIII.

Feruntur homines plerumque ad magna et ſublimia, aeque atque ad tenuia et humilia. Est vero ea Religionis Christianae praeſtantia, ut homines a tenuibus et humilibus ad ſumma et coelestia evocet et ducat.

XIV.

Egregia ſane ſunt *Reinhardi* verba: „ Das vollkom„ menſte Mittel unter allen, durch welches die mensch„ liche Natur alles werden ſoll, was ſie auf Erden wer„ den kann, ist die Sittenlehre des Christenthums, ... „ das vornehmſte Mittel der Erziehung für unſer Ge„ ſchlecht." *Syſtem derChrist.Moral*, D. I. Vorr. ſ. 4, 5.

XV.

Veteris Testamenti Codex egregium in Christianam morum disciplinam habet uſum. Quippe ejus conſilia et principia firmat, praecepta vindicat et illuſtrat, ejusque disciplinae praeſtantiam docet.

XVI.

In coetibus publicis Christianorum ſatis commenda-

da-

dari nequit rituum externorum cum simplex, tum propria ratio. Quodsi haec teneantur non est, quod aut novos, propterea, quod sint novi, aut veteres, quod sint veteres, vel spernamus, vel praeferamus.

XVII.

Immerito hodieque nonnulli vituperant pictores, qui fata Christi delineantes, imagines suas petere solerent ab humili, non item a sublimi ejus conditione. Hinc enim cum eorum ingenium, tum pretium, quo haec haberetur doctrina, egregie patet.

XVIII.

Falli videntur ii, qui statuunt, Majores nostros *Mercurium*, *Martem*, alios, coluisse Deos. Neque ex iis, quae de *Nehalennia* aut *Herculе Magusano* nobis innotuerunt, huic opinioni argumentum peti potest.

XIX.

Religio Christiana jam diu ante Dagoberti I. tempora in Patriâ nostrâ cognita fuisse videtur.

XX.

Sacrorum emendatio, Sec. XVI., egregie valuit ad moralem Religionis Christianae rationem restaurandam. Ita homo tetendit ad veram hominis praestantiam.

AAN MIJN' VRIEND

H. J. ROYAARDS,

Bij zijne bevordering tot DOCTOR
in de Godgeleerdheid.

Verbeelding! breng mij voor 't gezigt
Den man, bestraald met godlijk licht,
Getroost in rouwe en smarte;
Den tolk van waarheid en van deugd,
Die, deelende in der eng'len vreugd,
Gevaar en boeijen tartte.

Gelijk een adelaar, zich stout
Verheffend' boven rots en woud,
In ruimer lucht gaat rennen;
En rustig, waar de stormwind loeit,
Door wolken boort en hooger roeit,
Met onbezweken pennen:

Ook

Ook zoo verheft hij zich van de aard,
Geen magt weerhoudt zijn hemelvaart,
Hij komt der Godheid nader;
Hoe vreesselijk zijn vijand woel',
Hem deert geen leed, en 't reinst gevoel
Doorstroomt zijn borst en ader.

Van daar die kracht in woord en beeld,
De taal, die ziel en zinnen streelt,
Geen' ander ingegeven!
Van daar die vloed, die welig bruist,
En liefelijk in de ooren ruischt,
Waar Paulus spreekt van 't leven!

Wel u! die zijne wijze taal
Verdedigt, vrij van woordenpraal,
En zijne leer te gader;
Verhef, als gij zijn' zin ontvouwt,
De leer, die eeuwig waarde houdt,
Zoo trouw, gelijk uw vader.

A. SIMONS.

AAN MIJN' VRIEND

H. J. ROYAARDS.

Vrij moog' geschiedenis de namen ons vermelden
Van hen, op wier bezit Athene en Rome boogt;
't Is Jezus leer alleen, die wijzen vormt en helden,
Door hooger kracht bestraald en reiner geest verhoogd.
Dat voelen wij, Mijn Vriend! als wij bewond'rend staren
Op het verheven beeld, dat ge ons van Paulus geeft,
In hem den leerling zien, den volgeling ontwaren,
Die trouw aan 'smeesters leer, naar 'smeesters voorbeeld streeft;
Door geestdrift aangevuurd, met menschenmin verbonden,
Door waarheid voorgelicht, en hooger geest geleid,
Heeft hij geen ander doel, dan Jezus te verkonden,
Kent hij geen grooter vreugd, dan and'rer Zaligheid.
Door zulk een zucht bezield, kan hij gevaren tarten,
Vertrouwend op zijn Heer, toont hij in tegenspoed
Geen Stoicijnsche deugd, gevoelloos onder smarten,
Neen, menschelijk gevoel, met Christelijken moed.
Maar neen, ik schets hem niet, Gij hebt hem ons geteekend;
Wij zien in u op nieuw, wat gij in Paulus ziet:
„ 't Gevoel van 't hart alleen maakt waarlijk ons welsprekend,
„ Dat leeren school en kunst en koude regels niet."
Wat zeg ik? Neen uw lof laat ik aan and'ren over,
Ik juich wel bij het feest, waarop uw kunde blijkt,
Maar vlecht voor u geen krans van ligt verdorrend lover;
Terwijl de groene olijf, u om den schedel prijkt.
En echter grooter eer is 't doelwit van uw streven,
Ik weet, gij wilt de kroon, waarop de Meester wijst.
Mijn Vriend! Gij kent de les door Paulus ons gegeven:
„ Hij is alleen beproefd, wiens ijver Jezus prijst."

J. F. VAN OORDT, J. W. ZOON.
Theol. Cand.